OEBS

JORDANI BRUNI

VITA ET PLACITA

N.° 31

VITT. EMANUELE III



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EM. III NAPOLI
B. Prov.
XIV
459

BIBLIOTECA PROVINCIALE



Armadio XXVI
Palchetto 6
Num.° d' ordine 7/
9005

19 C 45

126
3
22

B. Prov.
XIV
459

Digitized by Google

Digitized by Google

PH. JORDANI BRUNI

NOLANI

VITA ET PLACITA.

Digitized by Google

Digitized by Google

645366

PH. JORDANI BRUNI

NOLANI

VITA ET PLACITA.

CONSCRIPSIT

A. DEBS,

PHILOS. PROF.
SCHOLÆ NORM. OLIM ALUMNUS.



La morte in un secolo fa vivo in tutti gli altri...
(J. Bruno.)

AMIENS,
IMPRIMERIE DE E. YVERT, RUE DES SERGENS, 32.

1844.

Digitized by Google

PHILOTHEI JORDANI BRUNI

VITA ET PLACITA.



La morte in un secolo fa vivo in tutti gli altri.
(J. Bruno. Gli eroïci furori. Dial 1, 1.)

Si decora videtur et laudabilis ea pietas qua ducti parentum funebres veneramur urnas, et servamus imagines, et res gestas solemus recordari, eorum etiam decet gratissimi animi religione memoriam colere virorum, qui ex scholasticis olim vinculis ad antiquam libertatis dignitatem hominum ingenia revocantes, novas scientiarum aperuerunt vias et laboribus suis et sanguine miserrimisque rogis velut auroram nobis fecerunt felicioris ævi.

Quos inter, sexto decimo maxime sæculo florentes, omnium eorum qui de philosophiæ historia scripserunt consensu, principem obtinet locum, aut saltem a nullo secundum, Jordanus ille Brunus, præstantissimis animi dotibus insignis, mirum in modum fœcundus et perspicax et subtilis, dignusque forsan, si

potuisset ingenii impetum compescere aliquantum et regere, sique in feliciore vixisset sæculo, qui celeberrimis philosophorum nominibus adscriberetur.

Qui, quamvis sæpiùs, ut in scientiarum solet fieri exordiis, a rerum veritate nimiâ affirmandi cupiditate et audacia raptus aberraverit, multa tamen eaque maxima in philosophiam contulit beneficia. Ante Baconem enim et Cartesium philosophiam in firmiora et propria fundamenta conatus est restituere, intellectûsque humani auctoritatem et evidentiam naturalem optimum esse cognoscendi fontem mira sagacitate demonstrat docetque viginti annos in omnibus ferè Europæ academiis. Aristotelem, quem etiam tum quasi errorum expertem et ferè divinum philosophorum coryphæum ità sequebantur omnes ut nemo nisi ex isto fonte epotavisset, philosophus haberetur, — Aristotelem inquam, ille ut olim Platonem Aristoteles ipse, nec minori forsitan subtilitate et acu ingenii, oppugnat, lacessitque..... Post Copernicum primus idem tam abhorrentem a sensu et a vulgari philosophia sententiam de sole immoto et mobili terrarum orbe est ausus circumferre, locupletissima adauctam argumentorum copia et varietate. Quamvis a multis irrisus, plurium odio obnoxius iniquo, docet esse terras hujusce nostræ similes, mundos innumeros et infinitum universum, nullisque temporis aut spatii terminis coerceri divini numinis efficientiam et naturam. Quod si post Parmenidem et Platonicorum sectam in doctrinam tandem de uno ente infinito et immobili delabitur, error ipse grandem et generosam ingenii mentisque demonstrat indolem : paucis enim ità errare concessum est. Multa pratermitto

quæ egregiè Brunus de hujusce orbis motibus, quæ de hominis natura et officiis, quæ de logica arte et de litterarum cultura prodidit.

Nec minorem quam ex doctrina, licet ex ipsius viri notitia fructum excipere, cujus si bene noveris indolem et labores variamque fortunam, eorum ferè omnium patebit fortuna et indoles qui temporibus illis a Peripateticorum secta defecerunt; multa etiam in ipsius sæculi cognitione profeceris. — Indè igitur facto initio, quæcumque de Jordani fatis et studiis aut ex ipsius qui supersunt, libris aut aliundè accire potui, diligenter disposui et digessi, ut tanti tamque infelicis viri, quantum propter fontium inopiam licebat, vita tandem omnis innotesceret; multum enim abest ut et nunc aperta pateat omnique soluta obscuritate; ita tamen innotuit ut et ea quæ desiderantur adhuc, non ingratum philosophiæ amicis, nec inutile scientiarum historiæ complementum videantur.

Digitized by Google

PARS PRIMA. J. BRUNI VITA.

Al vero filosofo ogni terreno è patria.
(De la Causa... Dial 1, p. 220, ed. Wagner.)

Bruni vitam multi enarraverunt : ante Bruckerum Baylius, Tolandus, La Crozius, Niceronius, Stephanus Jordanus etc; tum ipse Bruckerus et post hunc Buhleus et Tiedemannus et Tennemannus, qui fusius rem eandem tractavere. Omnia autem quæ ad rei notitiam pertinent conferre nemini eorum contigit; Bruckerus enim qui tam diligentem curam perlegendis philosophorum scriptis adhibuit, præter ea quæ de Lulliana arte Jordanus proposuit, unum tantum ejus volumen, *De triplici minimo et mensura* habuisse profitetur. Cæteri plura potuerunt evolvere, non tamen omnia. Sunt enim rarissima quædam Bruni scripta, ea præsertim quæ italico ille confecit idiomate, et nunc primum in corpus unum redacta typis iterum dedit ad. Wagner. (1).

(1) Opere di Giordano Bruno Nolano, ora per la prima volta raccolte e pubblicate da Ad. Wagner, dottore. 2 vol., Lipsiæ, 1830.

Quo factum est ut viri fortunas hucusque nemo planè delineaverit. Et in iis enim quæ de Jordano nuperrime sunt conscripta (1), multa desiderantur.

Non nisi mutila et incerta pleraque de nostro liceret narrare, ni servatum forte propitia monumentum pretii maximi et auctoritatis superesset, epistola nimirum a Casparo Scioppio ad Conr. Rittershusium scripta.

Scioppius enim (2), grammaticus Germanus Romæ degens, acerrimusque et Bruni et hæreticorum omnium osor, Inquisitionis, ut ipse fatetur, officio interfuit ubi contra illum est lata sententia, eundemque paulo post in Campo Floræ, publicè impositum pyræ, gratissimum spectaculum vidit. Undè domum reversus ad Rittershusium statim (3), quocum illi, ut tunc inter doctos eorundemque studiorum consortes fieri solebat, epistolare erat commercium, — apologeticas misit litteras. Erat enim Rittershusius Lutheri sectæ addictus : quem ut certiorem faceret, non Lutheranum Romæ, ut publicè sparsus tunc rumor ferebat, sed atheum et blasphematorem esse combustum, his verbis Bruni vitam et infelix exitium enarravit :

(1) Ad Wagner, Introduz. — Rixner und Sieber, Leben und Lehrmeinungen berühmter Physiker.

(2) De hoc vide : Bayle, art. Scioppius ou Schopp.

(3) « Ut vero nunc ad te scribam, hodierna ipsa dies instigat, qua Jordanus Brunus propter hæresin vivus vidensque publicò in Campo Florae ante theatrum Pompeï est combustus... »
(Scioppii ep., in Struvii. act. litt. fasc. v.)

» Fuit enim Brunus ille patria Nolanus, professione Dominicanus : qui, cum jam annis abhinc octodecim de transsubstantiatione dubitare, imò eam prorsùs negare, et statim virginitatem B. Mariæ in dubium vocare cœpisset, Genevam abiit, et isthìc biennium commoratus, tandemque quod Calvinismum (quó tamen nihil recta magis ad Atheismum ducit) per omnia non probaret, indè ejectus Lugdunum, inde Tholosam, hinc Parisios devenit, ibique extraordinarium professorem egit, cum videret ordinarios cogi Missæ sacro interesse. Postea Londinum profectus, libellum istic edidit de Bestia triumphante, h. e. de Papa, quem vestri honoris causa bestiam appellare solent. Indè Wittebergam abiit, ibique publicè professus est biennium, ni fallor. Hinc Pragam delatus librum edit de immenso et infinito, itemque de innumerabilibus (si titulorum sat rectè memini, nam libros ipsos Pragæ habui) et rursùs alium de Umbris et ideis, in quibus horrenda prorsùsque absurdissima docet, ut qui mundos esse innumerabiles, animam de corpore in corpus, imò et alium in mundum migrare, unam animam bina corpora informare posse, magiam esse rem bonam et licitam, spiritum sanctum non esse aliud nisi animam mundi, et hoc voluisse Moysen, dum scribit eum fovisse aquas; mundum fuisse ab æterno, Moysen miracula sua per magiam operatum esse, in qua plus profecerat quam reliqui Ægyptii; cum leges suas confinxisse; sacras litteras esse somnium; diabolos salvatum iri. Solos Ebræos ab Adamo et Eva originem ducere, reliquos ab aliis duobus quos Deus pridiè fecerat; Christum non esse Deum, sed fuisse magum insignem, et hominibus

illusisse, ac propterea meritò suspensum (italicè impiccato) non crucifixum esse; Prophetas et Apostolos fuisse homines nequam, magos et plerosque suspensos. Denique infinitum foret omnia ejus portenta recensere, quæ ipse et libris et viva voce asseruit. Uno verbo ut dicam, quidquid unquam ab Ethnicorum philosophis vel nostris antiquis et recentioribus hæreticis est assertum, id omne ipse propugnavit. Praga Brunsvigam et Helmstadium provenit, et ibi aliquandiù professus dicitur. Indè Francofurtum librum editurus abiit, tandemque Venetiis in Inquisitionis manus pervenit, ubi diù satis cum fuisset, Romam missus est, et sæpiùs a S. Officio, quod vocant, Inquisitionis examinatus, et a summis theologis convictus, modò quadraginta dies obtinuit, quibus deliberaret, modò promisit palinodiam, modò denuò suas nugas defendit, modò alios quadraginta dies impetravit: sed tandem nihil egit aliud, nisi ut Pontificem et Inquisitionem deluderet. Ferè igitur biennio post, quam hic in Inquisitionem devenit, nupera die nona Februarii in supremi inquisitoris palatio præsentibus illustrissimis cardinalibus S. Officii Inquisitionis (qui et senio et rerum usu et theologiæ jurisque scientia reliquis præstant) et consultoribus theologis et sæculari Magistratu, urbis gubernatore: fuit Brunus ille in locum Inquisitionis introductus, ibique genibus flexis sententiam contra se pronuntiari audiit. Ea autem fuit hujusmodi. Narrata fuit ejus vita, studia et dogmata, et qualem Inquisitio diligentiam in convertendo illo et fraternè monendo adhibuerit, qualemque ille pertinaciam et impietatem ostenderit; indè eum degradarunt, ut dicimus, prorsusque excommunicarunt, et sæculari

Magistratui eum tradiderunt, rogantes, ut quam clementissimè et sine sanguinis effusione puniretur. Hæc cum ità essent peracta, nihil ille respondit aliud, nisi minabundus : Majore forsan cum timore sententiam in me fertis quam ego accipiam. Sic a lictoribus gubernatoris in carcerem deductus, ibique assiduò asservatus fuit, si vel nunc errores suos revocare vellet, sed frustrà. Hodie igitur ad rogum sive pyram deductus, cum salvatoris crucifixi imago ei jam morituro ostenderetur, torvo eam vultu aspernatus rejecit, sicque ustulatus, misere periit, renuntiaturus credo in reliquis illis, quos finxit, mundis, quonam pacto homines blasphemi et impii a Romanis tractari soleant. — Hic itaque, mi Rittershusi, modus est quo contra homines, imò monstra hujusmodi a nobis procedi solet. Scire nunc ex te studeam, isne modus tibi probetur; an verò velis licere unicuique quidvis et credere et profiteri ? Equidem existimo, te non posse eum non probare; etc.....

Romæ, ut soleo, raptim, ad 17 febr. Anno 1600.

Hucusque Scioppius. Quo autem genere natus sit Jordanus et quo tempore, non narrat; de puerilibus etiam annis et de adolescentia tacet. Bruckerus ortu nobilem fuisse ex Oratione valedictoria Wittebergæ habita suspicatur; ubi conqueritur noster « eorum qui ipsi honorem et obsequium debebant, convicia et calumnias pertulisse, facultates etiam contemsisse » ait. Facultates autem ibi, ni fallor, non hæreditate paratas sed quas industria consequi licuisset, et obsequia non nomini sed ingenii auctoritati debita designat, ni

fortè placeat conjicere, in monasterio illum, dum monachus esset, sacrum quemdam inter suos gessisse magistratum. Ex aliis enim ejusdem libris manifestum patet, filium fuisse Johannis Bruni cujusdam (1), qui propè urbem Nolam ad radices montis Cicalæ casam et hortum obtinebat (2), in eaque casa puerum cum patre degisse. Humili loco sese exiisse tum etiam testatur quum ab adversario quodam Nolanæ philosophiæ sartoris sese fingit filium appellari (3).

Quid adolescens egerit, quomodo fuerit eruditus, non est undè comperire liceat. Cum autem jam tum illum singulari memoriæ copia et ingenii ubertate insignem se præstitisse non dubitem, Nolæ a Dominicanis edoctum facilè crediderim et postea in monasterium receptum.

Monachum autem fuisse, quamvis a quibusdam dubitatum (4), ex. S. Officii sententia, a Scioppio relata, satis superque constat. Ipsius accedit Bruni testimonium. Musis enim poeticis se primùm dedisse, nunc tragicam Melpomenen, nunc comicam secutum

(1) Dicendo una sera un certo de'nostri vicini : giammai fui tanto allegro, quanto sono adesso, gli rispose Gioan Bruno, padre del Nolano : Mai fuste più pazzo che adesso...
(Er. fur. 324.)

(2) Spaccio de la best. tr., 152.

(3) Se non fusse un poveraccio, mendico, nodrito di pane di miglio, morto di fame, generato da un sarto, nato d'una lavandiera... (De l'Infin. univ. e Mondi, dial. 3, 68.)

(4) Si fuisset ex nobis, utique nobiscum permansisset et convictu et sensibus... (Eccardus, de scriptor. ord. praedicat. II, 188.)

Thaliam, narrat; sed censorum auctoritate ad vilem et stultam, ut ait, simulationem coactus, ad philosophiæ indè studium confugisse (1).

Patria relicta urbe Neapolin se recepit, ibique sat temporis est commoratus, ut et loca et mores cognoscere et delineare potuerit (2).

Undè egressus, Romam se contulit, ibique circa annum, ni fallor, 1569, (3) theologiæ doctoris titulum est adeptus (4).

Mare etiam Ligusticum, Genuamque et Nizzam adiit (5), Venetiam incoluit et Mediolanum, atque demum Italiam exul reliquit, clericorum odia fugiens et minas, antè obitum annos, si Scioppio credas, octodecim, post Chr. n. 1582. Atqui Parisiis eo ipso anno 1582 docebat, et si tempus aliquod Lugduni et Tolosæ trivit, et biennium Genevæ, antequam Lutetiam sese reciperet, patria elapsum anno 1579 aut postremùm 1580 credas necesse est.

Ex Italia invitus et tristis abiit, inque exilio patriam oblivisci nunquam potuit. Paucos tamen ibi fautores videtur reliquisse; unius tantummodò, non amici, sed amicæ, D. Morganæ cujusdam, cui comœdiam suam : « Il Candelajo » dicat, grato animo in ipsum

(1) Er. fur. dial. 1, 314.

(2) Spaccio, etc. 238. Il Candelajo, passim.

(3) Candelajo, 95.

(4) Vide infrà notam 53.

(5) Spaccio, 246.

benevolentiam et beneficia memorat (1). Inimici autem multi manserunt et injuriarum ità memores ut post viginti annos in S. Officii potestatem remissum transsubstantiationem olim negasse et de B. Mariæ virginitate dubitasse non fuerint obliti.

Nec mirum adeò: Non enim Christianæ fidei solum, sed etiam Aristotelis auctoritati jam tum, cum in Italia degeret, Brunum adversatum esse suspicor. Peripateticorum enim, ut mos erat, doctrinam diligenter edoctus, ad Platonicorum deinde et Cabbalistarum (Lullii præsertim) philosophemata sese converterat, tam temerariæ cognoscendi cupidini et tam luxurianti phantasiæ magis congenea quam jejunum Aristotelis ingenium. Platonicis autem jam tum addictum fuisse sententiis hæcce, quæ ad Morganam scribit, testantur : « quæ ego credam, memento : omnia tempus tollit, omnia præbet; mutantur omnia, nihil interit; unum tantùm est quod nequit mutari, unum est æternum, manetque semper unum, et simile et idem. Hujusce philosophiæ beneficio mihi crescit animus et magnificatur intellectus »..... In Italia etiam liber Bruni ille prodiit, quem sub titulo : « L'arca di Noe » pontifici maximo Pio V adscriptum in publicum emisisse fatetur (2), quo, si rectè auctoris verba quædam inter-

(1) A voi coltivatrice del campo de l'animo mio, che dopo aver attrite le glebe de la sua durezza, a ciò che la polverosa nebbia sollevata dal vento de la leggerezza non offendesse gli occhi di questo e quello, con acqua divina, che dal fonte del vostro spirto deriva, m'abbeveraste l'intelletto.

(2) La Cena de le Ceneri, 149.

pretor, animalium allegorica de principatu lis exponitur (libri enim ipsius nullum exemplar supcrest). Ità non tam obscurus ignotusque noster fuit ut in patria diù, etiam mutata sæpenumero sede, latere potuerit.

Adde quod tam acri ferventique et verè Neapolitano sese præstiterit semper animo, et quidquid verum et laudabile esse sibi persuasisset, tanto fuerit impetu amplexus, ut adversarios tumidus facilè et violentus jurgiis læderet (1); quod quidem sinebat istius ævi rusticitas et intemperantia.

Antequam autem Genevam abeuntem sequamur, id quærendum est, quonam sæculi sit aut anno aut saltem decennio natus. Quod et ipse, et Scioppius silentio prætereunt. Id tamen licet affirmare, nec juvenem admodùm neć ætate maturum sed circa tricesimum vitæ annum versantem, patria excessisse; qui Romæ anno fuerit 1569, et pontifici Pio V, olim Dominicanorum Priori, ad annum jam 1575 exstincto, primum suum de Arca Noæh librum dicare potuerit;

(1) Salutate da mia parte quell' altro candelajo di carne et ossa (de le quali è detto, che *regnum Dei non possidebunt*) e ditegli che non goda tanto, che costì si dica la mia memoria essere strapazzata a forza di piè di porci, e calci d'asini! Per che a quest' ora a gli asini son mozze l'orecchie et i porci qualche dicembre me la pagaranno... Fra tanto viva, et attenda a farsi più grasso che non è, per che da l'altro canto io spero di ricovrare il lardo dove ho persa l'erba, se non sott' un mantello, sotto un altro; se non in una, in un' altra vita. (Candelajo, epist. proeem.)

juvenilem tamen satis intemperantiam temeritatemque ostendat in omnibus iis quæ Lutetiæ in vulgus emisit libris..... Circiter annum igitur 1550 natus, et propemodùm exactis quinque vitæ decenniis supplicio videtur fuisse interceptus.

Italia elapsus Genevam, quod suprà dictum, se recepit, ibique, si Scioppio fides habetur, biennium est commoratus. Mirum admodùm, de ea urbe et de Calvino ne uno quidem verbo mentionem in Bruni libris fieri, ubi cætera quæcumque vidit aut est expertus, sæpe occurrunt. Nec id satis possum intelligere quid eo biennio egerit et quì, libertatis tanta incensus cupidine, tamdiù Calvinistarum asperitatem et imperium sustinuerit. Credibile tamen est, clericorum minas fugientem eò se primum convertisse; et indè ejectum propterea quòd prædestinationem esse negaret, tantæ tùm exsecrationis fecisse initium, qua hæreticus ipse, Lutheri postea et Calvini hæresin est prosecutus (1).

Lugdunum deinde, et hinc Tolosam se contulit, ubi de Perpateticæ philosophiæ vanitate in regio auditorio lectiones habuit, non sine professorum invidia eorumque qui audiebant propter rei novitatem strepitu (2).

(1) Spaccio de la best., tr., 146 et seqq.

(2) Ad senatum univers. Witteberg. ita scribit anno 1588 : « Jam quamvis ea in vestro proponi videretis auditorio, quæ licet itidem in regiis Tolosæ, Parisiorum et Oxoniæ auditoriis obstrepuerint priùs... non (pro more unius et alterius cujusdam loci) nasum intorsistis, non sannas exacuistis, buccæ non sunt

Lutetiam tandem concessit anno 1581 aut 1582 ibique ad annum usque 1583 cum bona pace domicilium habuit, atque iterùm, ex Anglia reversus anno 1584, ad Pentecosten usque anni 1586 versatus est, publicè privatimque docens, et de Lullio, de Aristotele deque ipsius philosophia libros evulgans. Ab Universitatis professoribus humanissimè, Gallorum more, sese habitum ipse testatur, hæcce ad rectorem Filesacum verba scribens : « Quis egregiæ humanitatis actus, quid officii in extraneum philosophum potest impendi, quod pluribus abhinc annis per hujus Universitatis tum rectores, tum universum professorum collegium mihi non fuerit effusissimè elargitum? Dum non modò communi quadam, quæ erga omnes affecti estis humanitate, verùm etiam certa haud vulgari ratione me vobis devinxistis, ubi tum in publicis, tum et in privatis lectionibus continua doctiorum adsistentia negotium studii mei concelebrastis, adeò ut nullus mihi de me minus, quam extranei, in hac alma litterarum parente titulus occurrere potuerit unquam ».....

Ordinariorum numero professorum non fuisse adscriptum propterea quod, ut Scioppius affirmat, Missæ sacro adesse noluerit, non satis constat : est tamen propter indomitum et ab omni dissimulatione abhorrentem animum credibile satis.

Pauper ex Italia Brunus excesserat adeòque ad finem

inflatæ, pulpita non strepuerunt, in me non est scholasticus furor excitatus... (De Lampade comb. Lull.)

usque mansit inops ut jure Diogeni similem sese prædicare potuerit (1). Non igitur ut majorem gloriam compararet, sed ut famem repelleret, privatas tum Lutetiæ tum in aliis academiis habuit lectiones (2). Atque idcircò, omissa sæpius de Deo et Universo doctrina, ex qua tamen immortale sibi nomen pollicebatur, in iis versari coactus est quæ genio minus arridebant, et artem reminiscendi, et rhetoricam, et ipsam Aristotelis metaphysicam docere (3).

Articulos audientibus dictabat, tamque prompto rapidoque erat ingenio, ut « stans pede in uno, quantum calamo consequi posses, simul et dictaret et cogitaret. » (4) Quos deinde articulos copiosè, ut facultatem dabat ingenii ubertas animique postulabat vehementia, explanare et dilucidare conabatur et defendere (5).

(1) La Cena de le Ceneri. Epist. dedicat. ad Mauvissierum.

(2) Epist. ad sen. Witteb.

(3) Supersunt ex Bruni dictatis libris : Artificium perorandi, communicatum ab Henr. Altstedio, Francof. 1612. — Summa terminorum metaph. Aristot., ex manuscr. per R. Eglinum. Marpurgi, 1609.

(4) Raph. Eglinus, præfatio in summ. term. met.

(5) Annus nunc agitur tertius et trigesimus, cum Lutetiæ Parisiorum primùm Jord. Brunum arte Lulliana et Mnemonica multos ad se discipulos atque auditores allicere memini... Ac ipsius Jordani peritiam et promptitudinem quam, postulato quovis disputandi et e tempore copiosè perorandi argumento ostentabat, vehementer admirabar... (Artif. Aristotelico-Lullio-Rameum, etc., ductu J. a Nostitz., elabor. a C. Bergio. Brieg, 1615.)

Discipulorum codices manu scriptos aut ipse, quando vacui temporis aliquid dabatur et in re operæ pretium fore existimabat, emendatos auctosque emittebat, aut ab aliis curabat emendandos (1); multi et nunc manu scripti latent quorum complures ipse titulos designat; unus etiam et alter post ejus obitum in lucem prodiere.

Lectionum non ab Infinito et Uno, non ab Aristotelis et Scholarum vanitate, sed ab arte Lulliana initium fecit; jure veritus, ne theologorum in se professorumque suscitaret inimicitias. Et cum rem diù inauditam mira dicendi copia et elegantia explicaret, — ut in hac nostra solet fieri Gallia ubi novarum et è longinquo petitarum maxima est facilè doctrinarum auctoritas, multos omnis generis auditores allectavit et ad suam rapuit disciplinam. Non mediocrem fuisse Lutetiæ Bruni auctoritatem indè conjiciam, quòd et doctiores ipsius interfuisse dicat lectionibus, et nobili loco ortos sibi quosdam fautores comparaverit. De J. Regnault, Henrici d'Angouleme a secretis consiliario, suprà dictum est; et J. Mori, Venetorum apud Henricum III legati, adeptus benevolentiam videtur, quippe cujus sub au-

(1) Consultum ergo mihi fuit, eam ipsam artem... cujus erat exemplar apud me, fidelissimè, ut olim quibusdam dictata fuerat... in lucem edere. Cui quidem amico consilio atque sententiæ, ut par erat, consentivit Jordanus, meque rogavit, ut (cum sit ipse gravioribus negotiis intentus) ego eam ipsam curam susciperem et complerem. (J. Regnault, præf. in Cantum Circæum.

spiciis « Architecturam et Complementum artis Lullii » eo ipso anno 1582 emisit.

Atque jam tum, ut et postea et ad ultimum ferè et exitialem diem, nobilium potiùs et liberiori ingenio virorum, qui theologos et scholasticam subtilitatem aversati ad nova se studia converterant, est patrocinio defensus et tutatus, quam professorum, qui in antiquis et ubique probatis obstinatissimè hærebant doctrinis; itaque, a paucis sed præstantibus laudatum et ad majora vocatum, fastiditum a compluribus et irrisum, adversariorum censuris æque et amicorum admiratione ad majorem sui fiduciam arrogantiamque videmus evectum (1).

De libris quos illius anni 1582 spatio edidit breviter denique est dicendum. Tria de arte inveniendi et memorandi extant opuscula, et comœdia, italico idiomate elaborata. Priorum hìc inscriptiones et summa brevissimè enarrata, sequantur :

De compendiosa architectura et complemento Artis

(1) Bruni nimiam confidentiam omnes ejus libri ostendunt. Hæcce inter multa etiam gloriosiùs dicta describo :

« Philotheus Jord. Brunus, Nolanus, magis laboratæ theologiæ doctor, purioris et innocuæ sapientiæ professor, in præcipuis Europæ academiis notus, probatus et honorificè exceptus philosophus, nullibi præterquam apud barbaros et ignobiles peregrinus; dormitantium animorum excubitor, præsumtuosæ et recalcitrantis ignorantiæ domitor... quem stultitiæ propagatores et hypocritiunculæ detestantur, quem probi et studiosi diligunt.., » (Explic. 30 sigill. Epist. dedic. ad Oxon. acad. procancell. et doct. scripta.)

Lullii (Ad illustr. J. Morum etc. Paris. ap. A. Gorbinum, sub insigne spei, propè colleg. Cameracense 1582. 12.) — Artem inveniendi, ordinandi et judicandi de rebus quibuslibet Lullianam summatim hoc libello Brunus explicat. Quemadmodum scriptura atque lectio suis constant elementis, ità judicii et inventionis esse quasi a litteris ad syllabas, et ad verborum indè integritatem quemdam progressum Lullius docet, ideòque in partes tres methodum discriminat : alphabetum, quod vocat, ubi intentiones rerum simplices enumerantur; syllabicum, quod simplicium intentionum combinationes varias ostendit; tertiamque partem, quæ propositiones integras, ut ex syllabis vocabula, artificiosè conflat effingitque, et in omni genere quæstionum, si Lullium audias et Jordanum, incredibilem præbet ad inveniendum copiam. — Lullium omnem ejusque interpretes hoc opusculo inclusisse Brunus monet, multa etiam ipsum adjecisse, quæ nec Lullius nec quisquam alius docuerit.

De umbris idearum, implicantibus artem quærendi, inveniendi, judicandi, ordinandi et applicandi etc. (ad Henr. III etc., Par. ap. Gorbinum 1582. 8.) — Umbras idearum Brunus, Platonem secutus, ea vocat, quæ sensum attingunt, docetque liber iste artem ordinandi memorandique, ad Platonica de rerum essentia et cognitione placita accommodatam. Unum est et immutabile et æternum id quod verè existit estque verè bonum. Ab unitate illa supersubstantiali rerum varietas decedit, quæ in infinitam progressa multitudinem, vestigia tantùm veritatis et umbras ostendit.

Umbras igitur entis et boni, non Ens et Bonum ipsum sensus capit; cum autem fiat ab Uno ad hanc quam cernimus varietatem quasi descensus, sitque rerum inter se conjunctio quædam et concatenatio, ab inferioribus quæ sensui sunt objectæ ad superiores et intelligibiles, ab umbris et vestigiis ad ideas datur ascensus. Quas idearum notas intellectus accipit, memoria retinet, estque quædam sensûs non modò cum intellectu, sed cum potestate memorandi conjunctio; ità ut ex sensibilium imaginibus et accipere ideas et recordari liceat. Quomodo a sensu ad intellectum progressus pateat, etiam veteres docuere; quomodo ad memoriam, nemo. Memoriæ igitur naturam et vim satis acutè scrutatus, memorandi Jordanus methodum delineare conatur, hìc quoque Lullii alphabeta, et circulos, pictasque figuras et artificia adhibens omnimoda.

J. Bruni : *Cantus Circæus*, ad eam memoriæ praxim ordinatus, quam ipse judiciariam appellat. (Ad alt. princ. Henr. d'Angoul., magnum Galliae priorem, etc., a Joh. Regnault editus. — Par. Ap. Aeg. Gillium, via S. Jo. Later. sub trium coronarum signo.) — Et hicce libellus ad sublevandam memoriæ infirmitatem est destinatus. Cantum Circæum a procemio nuncupat, ubi sub specie invocationis mythologiam Græcorum universam Circe evolvit, et animantium genera permulta, adjuncta generi cuique copiosa attributorum descriptione : quo specimine manifesta fieret mnemonicæ artis vis et efficientia. Libri ipsius duæ sunt partes : Theoria artis, et praxis. Pars prior memorativæ facultatis naturam et operandi modum explicat. De-

scribitur quomodo rerum externarum notæ per sensum et phantasiam et cogitativam ad memorativam tandem perveniant; quodnam genus notarum et quibus adsistentibus causis, memoriam meliùs ingrediatur ibique validiùs hæreat; quæ sint notarum inter se connexiones et a quibus facto initio reminiscendi, ad cæteras promptior pateat aditus. Pars altera, quæ praxin respicit, de rerum, tum de verborum memoria docet. — Quæ omnia non mediocrem in animi operationibus inquirendi vim et consuetudinem demonstrant.

In tribus quos descripsi opusculis de alio et majore quodam ejusdem generis opere, antea aut conscripto aut dictato, semel et iterum Jordanus loquitur, titulo signans *Clavis magnae.* (1) Cujus quidem præter nomen nihil superest.

Jam aliud occurrit Bruni opus, ab antecedentibus longè alienum, quo comicæ illi Thaliæ, quondam dilectæ, valedicit :

Il Candelajo, comedia del Bruno Nolano, academico di nulla academia, detto il fastidito. — ***In tristitia hilaris*, *in hilaritate tristis*.** (Paris. ap. J. Julianum 1582) (2).

In hujusce comœdiæ ordine et personis, a Prologo indè ad finem et illud veterùm : « *Valete et plaudite*, »

(1) ..... Quemadmodum et in omnibus aliis technicis animæ operibus accidere in primo volumine Clavis magnae fuit expressum (Umbr. id. Ars memor. XV).

(2) Iterum 1589. — Gallicè 1633 : Boniface et le pédant. Vide ap. Niceronium.

Terentium Plautumque facilè agnosces. Est enim « il Candelajo » senex ridiculus, Bonifacius, Vittoriæ cujusdam, mulierculæ, amore incensus : quem philtrorum fabricatores decipiunt, ludificantur meretrices et lenæ, vexant fures spoliantque, et adulterum ipsius tandem uxor adulterio ulciscitur. Huic autem fabulæ, Plautinis admodùm simili, minores duas, ut poterat, intexere Brunus est conatus, et personis antiquitatem nimiùm olentibus recentiores immiscere characteres (1). Bartholomæum itaque, sordidum alchimistam, et Manfurium humanistam ridiculum comœdiæ admiscuit, oblectationis habentes satis, ni fabulæ simplicitatem rumperent. Et alias fortasse inutiles habet personas, quas oportebat omittere (2). Sed ut

(1) Son tre materie principali intessute insieme ne la presente comedia : l'amor di Bonifacio, l'alchimia di Bartolomeo, e la pedantaria di Manfurio...., (Argum. de la Comedia).

(2) De personis vide Proprologum : » Dovete pensare d'essere ne la regalissima città di Napoli, vicino al seggio di Nilo. Questa casa che vedete qua formata, per questa notte servirà per certi barri, furbi e marioli — guardatevi pur voi, che non vi faccian vedovi di qualche cosa che portate a dosso! Da questa porta si va a la stanza del Candelajo, *id est* M. Bonifacio, e Carubina moglie, e quella di M. Bartolomeo. Da quest'altra si va a quella de la S. Vittoria, e di G. Bernardo, pittore, e Scaramure, che fa del necromante. Per questi contorni, non so per quali occasioni, molto spesso si va rimenando un solennissimo pedante, detto Manfurio. Io v'assicuro che li vedrete tutti. Vedrete Pollula col suo *magister* per il più ; quest'è un scolare da inchiostro nero e bianco. Vedrete il paggio di Bonifacio, Ascanio, un servitor da sole e da can-

nunc est comœdia, jucundè satis legentis detinet animum, vimque comicam non mediocrem indicat. In colloquii tenore eundem quem ubique, Brunum agnoscis : ferventi animo, ingenio felicissimo et mira phantasiæ ubertate : qui currente, quod dicitur, calamo fabulam videtur scripsisse. Multa liberiùs dicta, quædam et obscœna invenies; quæ quidem fabula poscebat atque, (uti ex aliis ætatis ejusdem scriptoribus est manifestum), sæculi sinebat rusticitas. Si quis exindè vilem et immundum fuisse Jordanum suspicetur, meminerit ille, fastidio magis quam libidine ductum scripsisse, Heraclitum potiùs quam Democritum et hic et aliàs secutum (1).

Quamdiù Lutetiæ commoratus est, nihil videtur præter artem inveniendi memorandique docuisse; et

dela. Mochio, garzone di Bartolomeo, non è caldo nè freddo, non odora nè puzza. In sanguino, Barra, Marca e Corcovizzo contemplarete in parte la destrezza de la mariolesca disciplina. Conoscerete la forma de l'alchimiche barrarie in Cencio. E per un passatempo vi si farà presente Consalvo speziale, Marta, moglie di Bartolomeo, et il facetissimo signor Ottaviano. E la ruffiana Lucia, per le molte faccende, bisogna che non poche volte vada e vegna. Considerate che si fa, che si dice, chi va, chi viene; chè certo, contemplando quest'azioni e discorsi umani col senso d'Eraclito o di Democrito, arete occasion di molto piangere o ridere.....

(1) L'autore, se voi lo conosceste, direste ch'have una fisionomia smarrita; par che sempre sii in contemplazione de le pene d'inferno; par sii stato a la pressa come le barrette; un che ride, sol per far come gli altri; non si contenta di nulla come un vecchio d'ottant'anni... (Antiprol).

cum Platonis se discipulum in : « Umbris idearum profiteatur, Aristotelem tamen ne uno quidem impugnat verbo; veniam quodammodò petit Platonicos Peripateticis terminos immiscendi (1). Dum autem in dialecticis totus esse videbatur, gravioribus, ut ipse fatetur, erat negotiis intentus (2); Metaphysicæ nimirùm, ut eventus docet, et evertendæ vulgari philosophiæ.

Non tamen in Parisiensi Universitate tam solemnem plenamque periculi inchoavit disceptationem. Anno enim 1583, nescio qua aut spe aut formidine sollicitante, Gallia excessit et Londinum se recepit, ibique a Michaële a Castellonovo, Henrici III apud Anglorum reginam tum temporis legato, tecti mensæque hospitio est exceptus. Huic librum dicavit de arte mnemonica, eo tempore editum cum titulo :

» *Explicatio triginta sigillorum*, ad omnium scientiarum et artium inventionem, dispositionem et memoriam. Quibus adjectus est sigillus sigillorum ad omnes animi operationes comparandas et earundem rationes habendas maximè conducens. Et non temerè ars artium nuncupatur. Hìc enim facilè invenies quidquid per logicam, metaphysicam, Cabalam, naturalem magiam, artes magnas et breves theoreticè inquiritur »...

Explicationi sigillorum præmissa est, quasi proœmium, *Recens et completa ars reminiscendi* et in phan-

(1) Umbr. id. (Ed. Gfrœrer. p. 300.)

(2) Cantus Circ. epist. J. Regnault.

tastico campo exarandi; ad plurimas in triginta sigillis inquirendi, disponendi atque retinendi implicitas novas rationes et artes introductoria (Lond. 1583.)

Sigilli sunt signa minora; eo autèm nomine notas mnemonicas appellat et symbola quædam, quibus, in arte reminiscendi, velut locis communibus, notionum singulæ designantur series. Quid doceat liber iste, et quomodo, ex antecedentibus conjici facilè potest.

Adjunxit libro Jordanus ad Oxoniensis Universitatis professores epistolam, et paulò post Oxoniam ipse est profectus.

Ibi data venia docendi, lectiones primum habuit *de Immortalitate animæ* et de *Quintuplici sphæra*, tantumque est brevi consecutus auctoritatis, ut professorum collegium, sive ab ipso in controversiam vocatum, sive sponte sua decreverit, publicè de terra mobili et sole immoto disputare non sit dedignatum. Cujus disputationis memoriam ità Brunus mente servavit, ut eam in vulgus tradere, sicque Oxoniensium rusticitatem, quam vocat, et in ipsum injurias publicè constituerit castigare. *La Cena de le Ceneri*, quam Oxonia Londinum statim reversus conscripsit, Bruni theses, quidque adversarii attulerint et ipse responderit, ordine narrat. Cœnam enim fingit die Cinerum (quæ est prima Quadragesimæ) Londini habitam; eique cœnæ et ipsum et duos ab Oxonia doctores interfuisse, quos mutatis nominibus Torquatum et Nundinium appellat. Ibi, cum multi genere et doctrina insignes adessent viri, de Copernico et Ptolemæo fuisse controversiam, et doctores istos ridiculam satis ignorantiam arrogantiamque aperuisse.....

Igitur, ut Oxoniam et ad publicam disputationem revertamur, in regio auditorio, præsentibus multis Anglorum nobilibus, et sedes tenente suas professorum collegio, postquam de terræ diurno motu et de annuo, deque infinito Universo et mundis innumeris articulos Brunus proposuit, Nundinius ille et Torquatus, quasi Academiæ coryphæi (1) ad controversiam a cæteris designati, argumentis ex Aristotele expromptis immobilem Tellurem et mundum finitum mobilemque servare conati sunt.

Postquam fuit in utramque partem diù disceptatum, exhausta argumentorum copia (2), et animis magis magisque ferventibus, ad ironiam postremùm et convicia ventum est. Nundinius ex Luciani Veris

(1) Smitho : Parlavan ben latino? — Teofilo : Sì — Galantuomini? — Sì — Dotti? — Assai competentemente. — Bencreati? cortesi? civili? — Troppo mediocremente. — Dottori?-Messer, sì; credo da Oxonia. — Qualificati? — Come no? uomini da scelta, da roba lunga, vestiti di velluto, un de quali avea due catene d'oro lucente al collo, e l'altro, per dio, con quella preziosa mano, che contenea dodici annelli in due dita, sembrava un ricchissimo gioielliero, che ti cavava gli occhi et il core, quando la vagheggiava. (La Cena, Dial I, init.)

(2) Andate in Oxonia, e fatevi dire le cose intravenute al Nolano, quando pubblicamente disputò con que dottori in teologia, in presenza del prencipe Alasco Polacco, et altri de la nobilità inglese! Fatevi dire come si sapea rispondere a gli argomenti, come restò per quindici volte, qual pulcino entro la stoppa, quel povero dottor, che come il corifeo de l'Academia ne puosero avanti in questa grave occasione (La Cena, Dial. IV, p. 179.)

Narrationibus suam de mundorum multitudine sententiam accepisse Jordanum dixit. Torquatus violentiùs majorique cum arrogantia Nolano ratiocinanti et, quod facilè crediderim, ipsi satis ferventi, respondit (1).

A motu terrestri ad ipsum tandem Copernicum delata controversia, chartam et calamum Torquatus jussit afferri, et interrogante Jordano quid facere cogitaret : « *Vide, tace et disce*, inquit, *ego te docebo Ptolemæum et Copernicum*, « — sphærasque ità delineavit, ut fieret manifestum, Copernicum nunquam perlegisse.....

Tunc autem disputandi est finis facta (2), et exindè docendo est ab Academiæ senatu Nolano interdictum (3).

Quod autem ille de sua in disputando jactat patientia, licet dubitare, cum tanto propriæ doctrinæ amore flagrantem sese, tamque indomitum, ubique præbuerit; ex ipsius præterea elucet testimonio, pro-

(1) L'un de quali, non sapendo più che si respondere, e che argumentare, s'alzà in piedi, in atto di volerla finir con una provisione di adagj d'Erasmo, o ver coï pugni, cridò : *quid? nonne Anticyram navigas? tu ille philosophorum protoplastes, qui nec Ptolemæo, nec tot tantorumque philosophorum et astronomorum majestati quippiam concedas! Tu ne nodum in scirpo quœrites?* et altri proposti... (Cena, dial. 1, p. 131.)

(2) ... E cosè rimasero masticando in la lor lingua tutti, sin tanto che Nundinio e Torquato, avendo salutato tutti gli altri, eccetto ch'il Nolano, se n'andorno. (Dial. IV, 183.)

(3) Dial. IV, 179.)

pter adversariorum fiduciam et vana argumenta semel et iterum ira fuisse abreptum (1).

Cum ità fuisset Oxonia velut ejectus, Londinum reversus est, ibique anni ferè spatium mansit, elaborandæ philosophiæ suæ et in lucem proferendæ maximo studio intentus, uti tot tantique quos tam brevi tempore conscripsit, libri testantur; opera scilicet omnia quæcumque patrio composuit idiomate, — quæ quidem apud posteros præcipuam ei gloriæ partem effecere, — sub auspiciis Michaëlis a Castellonovo aut in vulgus emisit, aut scripsit, ant mox scripturus delineavit. Librum celeberrimum illum : de Causa, Principio et Uno, sollicitante Alex. Dicksono quodam, ipsi amicissimo, fatetur suscepisse (2) ; aliorum etiam et origine et ingenio magis illustrium amicorum patrocinio gaudebat, quibuscum, in studiorum societatem acceptis, velut sectam videtur fecisse philosophicam. Inter quos Philippi Sidnei et Folci Grenvillæ sæpe nomina in ejus libris, et laudes, invenimus.

His igitur adhortantibus, doctrinam suam physicam et metaphysicam decrevit evulgare ; atque primùm (3), ut supra dictum est, proposuit in :

(1) Dial. III, 167.)

(2) Quel dotto, onesto, amorevole, ben creato e tanto fedele amico, Al. Dicsono, che il Nolano ama quanto gli occhi suoi, il quale è causa, che questa materia sia stata messa in campo... (De la Causa, etc. Dial. 1, p. 228.)

(3) Rimanti, Nolano, tra tanto appo l'illustr. e generos. animo del signor di Mauvissiero, sotto gli auspizii del quale

La Cena de le Ceneri, descritta in cinque dialoghi per quattro interlocutori, con tre considerazioni circa doi soggetti. — A l'unico refugio de le Muse, l'illustriss. M. di Castelnovo, signor di Concressalto e di Joinvilla etc... (Excusum 1584, sine nomine loci aut typographi).

Ex dialogis quinque liber continetur. Quorum primus, consequentium præparatio et velut prologus, qua de re disceptatio sit futura, indicat. Copernici laudes celebrantur, et sibi ipsi Jordanus, qui Copernicum superarit, gloriam promittit immortalem. De Aristotelis denique ficta majestate et auctoritate perperam usurpata nitidè disseritur.

Secundus, cum ad cœnam in domum Sidnei Jordanus esset vocatus, nocturnam fluminis Tamesis trajectionem, perque lutosas Londini vias et angiportus periculosum facetè narrat iter, admixtis de Londinensis plebeculæ rustica superbia et in peregrinos crudelitate multis quæ ad illius ævi notitiam non inutile additamentum esse arbitror.

Ex tenebris tandem et cœno recuperatus cum inter pocula et epulantes noster consederit, in dialoga tertio Nundinii de Peripateticorum quinque essentiis, de terra immota, de sphæris octo, deque mundo circulari et externo movente argumenta explicantur, exponiturque quomodò singulis fuerit argumentis responsum.

cominci a pubblicar tanto solenne filosofia. (La Cena, etc., ad. fin.)

Quarto deinde sequitur controversiæ progressus et exitus.

Narrandi ità facto fine, dialogi denique personæ de eadem inter se materia fusiùs disserunt, pluribusque rationibus infinitum Universum Deusque intrinsecùs omnia movens demonstratur et efformans.

Tantum isti, quantum vix comœdiis inesse solet, habent delectationis dialogi; ingenii acu ibi et argumentorum copia Aristoteli facilè parem sese Brunus ostendit, tamque liberalem et ab omni scholastica solutum subtilitate, ut omninò sit illi dissimilis qui de Arte inveniendi cum Lullio tamdiù deliravit.

Mox autem irrisisse Oxoniensium ignorantiam et plebis Londinensis ferocitatem eum pœnituit. Tot enim et tantas in se concitavit iras, ut eorum quos amicos habebat, plurimi defecerint. Furibundum insanumque alii in isto illum se præstare libro clamabant, alii urbi Londino et universo Anglorum regno illatam poscere vindicias injuriam (1). Eò est ventum violentiæ ut, si Brunum rectè interpretor, in vincula conjectum vix Michaëlis a Castellonovo potuerit recuperare et tutare auctoritas (2).

(1) De la Causa, dial. 1, init.

(2) ... Dove bisognava, che fusse un animo veramente eroïco, per non dismetter le braccia, disperarsi, e darsi vinto a si rapido torrente di criminali imposture, con quali a tutta possa m'have fatto empito l'invidia d'ignoranti, la presunzion di sofisti, la detrazion di malevoli, la murmurazion di servitori, le sus-

Inimicorum minæ, cum Londini Jordanum velut reclusum domi tenerent (1), ad alia, et majora fortasse, otium fecere; quod quidem otium perficiendo primùm impendit celebratissimo suo libro :

De la Causa, Principio et Uno. (A l'illustr. signor di Mauvissiero. — Stampato in Venezia 1584.) — Typographi nomen abest, et privilegium; atque cum vocabula nonnulla in morem Gallorum alterata occurrant, typorumque forma sit eadem ac in libro : Gli Eroïci furori, rectè suspicatur Buhleus, Parisiis ex Ant. Baji officina et priorem prodiisse.

Proœmium erat tantummodò philosophiæ Nolanæ, et quasi vestibulum, la Cena de le Ceneri : Dialogi de Causa, Principio et Uno ipsius ædis fundamenta sternunt dùm accedentibus aliis (de Ethica, ni fallor, philosophia (2), exsurgat opus et perficiatur.

pizioni di stupidi, li zeli d'ipocriti, li odj li barbari, lamenti di percossi e voci di castigati...

... Io da voi gia ricettato, nodrito, difeso, liberato, ritenuto in salvo. (De la Causa, epist. dedic.)

(1) De la Causa, dial. 1, 216.)

(2) Altri molti sono i degni et onorati frutti, che da questi arbori si raccogliono, altre le messe preziosi e desiderabili, che da questo seme sparso riportarsi possono; le quali, per non più importunamente sollicitar la cieca invidia de li nostri avversarj, non ammeniàmo a mente, ma lasciamo comprendere al giudizio di quei che possono comprendere e giudicare; li quali da per sè medesimi potranno facilmente a questi posti fondamenti sopraedificar l'intiero edifizio de la nostra filosofia, li cui membri, se così piacerà a chi ne governa e muove, e se l'incomin-

In Cœna Cinerum de rebus iis quas sensus capit, de mundi elementis et magnitudine et motu multiplici contra Aristotelem disceptaverat. Hìc autem intellectui tantummodò et menti pervia aggreditur; de Universi enim Principio quærit, et Demiurgo, de Mundi anima, quæ efficit omnia movetque, quæque ipsa demùm est Natura, in infinita specierum sensibilium varietate et vicibus eadem semper et immota et una.

Dialogorum summam paucis proponere conabor.— Pro *Cœna* facto apologismo, ad rerum principia prima Brunus accedit, quæ quidem non ipsa oculis patere objecta, sed ex hujusce mundi specie et architectura, velut ex umbra vestigioque rem, intellectui innotescere demonstratur. De principiis deinde disseritur. Sunt autem, ut Aristoteli placuit, principia quatuor; quæ, si materiam omittas, eadem causarum nomen jure obtinent. — Causam efficientem in rerum natura, et Causam formalem, unam esse eandem Causam dicere necesse est, quæ sit velut ipsa rerum Natura. Animam etiam mundi rectè prædices, cujus munere et astra, et animantia, et quodcumque est, vitæ fit particeps. — Et cum a materia nequeat anima illa sejungi, quidquid est, manet in æternum: omniaque mutantur solummodò, nihil interit. — Materia

ciata impresa non ne verrà interrotta, ridurremo alla tanto bramata perfezione; a fin che quello ch'è seminato ne li dialoghi de la Causa, nato in questi de l'infinito Universo, per altri germogli, per altri cresca, per altri maturi...

(De l'inf. Univ. procem.)

Universi excellentissima est et divina, — una per se et absoluta. — Materia est Formæ potentia : quidquid efficere valet Deus, valet Materia pati; fit igitur omnia uti Efficiens omnia facit; in Universo sicut in Deo idem est *posse* et *esse*. — Materia non modò potentia, sed subjectum etiam potest prædicari. — Eandem esse corporum et animarum formis subjectam materiam, compluribus demonstratur argumentis. — Materia formam non excipit, sed possidet in se et ab intùs ex se ipsa promovet. Perperam igitur nudam et *propè nihil* Materiam dixere Platonici; perperam et Aristoteles finxit privationis participem. — Materia est una; unam etiam esse Formam et Efficientem satis constat. Materiam autem, quæ est potentia, ab actu quem eundem diximus esse Formam et Efficientem, logica tantùm, non physica ratione licet secernere. — Ens igitur est unum, infinitum, immobile, individuum; quod quidem et tempus infinitum et spatium immensum, partesque in Universo demonstrant innumeræ.

Hæc omnia, tam ardua et plena periculi, expeditè adeò et luculenter et copiosè tractat : tam prompta fluit verborum abundantia : tam generosus fervet ubique animus spiratque, ut poetam quam philosophum sæpiùs audire videaris, majoremque oblectationem quam laborem afferat libri pertractatio.

Dialogos de Causa et Principio alii consequuntur, *De l'infinito Universo e Mondi* (A l'illustr. Signor di Mauviss. — Stampato in Venezia 1584). Paris. ap. Ant. Bajum, ut suprà.

Ad eandem, quæ fuit in : « la Cena de le Ceneri » proposita, materiam hìc revertimur. Sed acrior et plenior instauratur contrà Peripateticos de Universi immensitate deque mundis innumeris controversia. Novis etiam ex infinita Dei potentia et bonitate argumentis Universum esse infinitum ostenditur. — Hìc quoque nitescit singularis illa viri perspicuitas et acutissimum ingenium; temperantiùs tamen fluit, uti res poscebat.

Informatis ità et exstructis quæcumque de Physica et Metaphysica docere Brunus decreverat, Ethicam quoque tractare aggressus est. Atque dialogum primò dicit sese composuisse, allegoricum, ni fallor : « *Il Purgatorio de l'Inferno* » (1). Quem tamen non evulgavit : sed aliam paulò post conscripsit allegoriam, — de purgando non Tartaro sed coelo, — inventione et phantasiæ vi vagantis singularem; quam ex Anglia abiturus, et fortasse abire coactus (2), grati animi

(1) A voi, Smitho, mandarò quel dialogo del Nolano, che si chiama Purgatorio de l'inferno; et ivi vedrai il frutto de la redenzione. (La Cena, al fine.)

(2) Non permetta il fato che io avanti gli occhi de l'eternità vegnia a lasciar nota d'ingratitudine, voltando le spalle a la vostra bella e fortunata patria prima ch'al meno con segno di ricognoscenza non vi salutassi, gionto al generosissimo e gentilissimo spirto di signor Folco Grivello..... Che a presso li vostri primi li secondi officj mi propose et offerse, quali io arei accettati, e lui certo arebbe effettuati, se tra noi non avesse sparso il suo arsenico de vili, maligni et ignobili interessati l'invidiosa Erinni... (Epist. dedic.)

monumentum Philippo Sidneo dicavit, ità inscriptam :

Spaccio de la bestia trionfante, proposto da Giove, effettuato dal consiglio, rivelato da Mercurio, recitato da Sofia, udito da Saulino, registrato dal Nolano, diviso in tre dialoghi subdivisi in tre parti 1584 (1). — Parisiisne excusus liber fuerit an Londini, incertum; Parisiis tamen emissum crediderim, quippe qui Henrici III nimias laudes celebrat.

Rarissima decimo septimo etiam sæculo exemplaria supererant, ità ut, cum inter omnes Nolani libros illius maximè fama esset vulgata, et ob illum maximè exsecrarentur auctorem theologi, ne titulum quidem doctissimi viri ex rumore rectè acceperint (2).

Pontificem Romanum ibi oppugnari diù creditum est, et bestiam illam triumphantem, quæ cœlo in exilium pellitur, papam esse Scioppius affirmat. Brunus autem ipse, quid sibi tractandum proposuerit, in procemio planè et apertè fatetur : Ethicam antequam ipsius philosophiæ aptatam principiis ordine demonstret, quædam præmittere velut præludia placuit, aut fila, textorum more, telæ tendere futuræ : vitia nimirùm vituperans et virtutes laudibus erigens, sæculi pravitate conculcatas. Itaque stellarum signa cœlo disposita

(1) Anglicè 1713. Spaccio, etc., or the expulsion of the triumphant beast. Gallicè 1750 et 1754 : Le ciel réformé. Essai de traduction du livre italien : Spaccio, etc., par l'abbé de Vouguy.

(2) M. Toland ne m'a point parlé du *Specchio* do la bestia trionfante, di G. Bruno. Je crois d'avoir vu ce livre autrefois, et qu'il est contre le pape. (Leibnitz, lettre 12 à M. Lacroze.)

bestiarum fingit cœtum efficere; quarum singulæ singula significantes vitia, Jovis tandem numine è cœlo pelluntur. In earum locum totidem succedunt virtutes (1).

Cum autem dialogorum personæ de multis liberiùs loquantur, illiusque temporis et theologos et litteratos flagello tangant acerrimo, monet Brunus, si quid displicuerit, ne ipsi adscribatur; Jovem enim et Momum cæterosque deos, et Sophiam et Saulinum suam quemque, non auctoris, explicare sententiam. Hæcce autem præ se nomina ferentem, quid de theologia, de clericis monachisque, de Lutheri hæresia, deque ipsa Christicolarum religione senserit, Jordanum explicuisse, neminem latere potest. De quibus infrà dicemus.

Anglia excessit anno 1584, iterumque Lutetiam reversus, ad Pentecosten usque anni 1586 in Academia Parisiensi lectiones habuit.

Libellum ibi satiricum antecedenti quasi complementum addidit :

Cabala del cavallo Pegaseo, con l'aggiunta de l'Asino Cillenico, descritta dal Nolano; — dedicata al Vescovo di Casamarciano. — Paris. 1585.

Post bestiarum exilium in Ursæ majoris locum *Asinitatem*, id est, Ignorantiam, fingit successisse, ejusque ironicè virtutis laudes celebrat, quasi scientiâ sit præstantior, et mater felicitatis. Onorium deinde quemdam facit dialogi personam qui, ex Asini forma cyllenici per metempsychosin elapsus, Pegasus deinde

(1) Epist. procem.

fuerit factus, et Aristotelis quoque corpus quondam obtinuerit. Dialogi sunt duo, quorum prior Pyrrhonicorum et theologorum, humanistarum alter et Peripateticæ sectæ obstinatam carpit cæcitatem ignorantiamque.

Id quoque ad morum philosophiam spectat volumen, quod eodem ferè prodiit tempore, cum titulo : *Gli Eroïci Furori.* (Par. a presso Ant. Bajo. 1585.)

Heroas ex Cabbalistarum nomenclatura vocat animas corporeis solutas vinculis ; heroïcos furores eum amoris fervorem, a vulgari valdè discrepantem, quo generosi flagrantes animi optima quæque et pulcherrima, tum pulchritudinis fontem et bonitatis, qui est ipse Deus, acerrimo appetunt studio. Platonicorum igitur quam vocant contemplationem Jordanus hìc commendàt, eamque hominibus finem proponit bonorum. Petrarcam sese, et Canticum Canticorum imitatum et ipse profitetur (1), et ex libro elucet satis ; poëmata enim brevia (quæ sonetta Itali vocant) septuaginta, quibus amantium desideria et animi motus omnes symbolorum mira delineat varietate, adjecto commentario interpretatur.

Ea autem dùm in vulgum exibant, aliis magisque periculosis animum intentum Brunus tenebat. Non jam Lullii methodum sed suam ipsius de rerum Natura doctrinam discipulis tradebat nonnullis, Peripateticosque parabat lacessere. Tandem, cum germanorum visere Academias inquietum suaderet ingenium, jam Galliam parans delinquere, Articulos contra Aris-

(1) Epist. procem. p. 301—302.

totelem centum et viginti publicè, ut olim Oxoniæ, discutiendos proponere ausus est. Quos, cum tueri ipse aut nollet aut non posset, suscepit ex discipulis unus, J. Hennequinus, et per triduum Pentecostes in regio Academiæ auditorio defendit, præmissa declamatione apologetica, qua antiquitatis et vulgi auctoritatem subverteret, eosque qui audiebant adhortaretur, ne quid temerè, nullaque rerum evidentia coacti, acciperent (1).

Articulos ipsos post biennium iterum edidit (2), et brevibus adjectis rationibus excudendos cum hocce titulo curavit :

Cameracensis Acrotismus, seu rationes articulorum physicorum, adversùs Peripateticos Parisiis propositorum, etc. Witteb. 1588.

Aristotelis ea impugnant articuli, quæ in libris de Cœlo, et Physices Acroaseos, de tempore docentur et spatio, de materia, de forma, de motu et movente, de gravi et levi, de æthere, de mundo finito, de elementorum numero et mixtione, de immobili tellure, de astrorum natura et loco, de planetarum motoribus, et de multis prætorea. Eadem quæ in dialogis de Infinito Universo, et hic proponuntur argumenta, sed

(1) *Excubitor*, seu Joh. Hennequini Apolog. declam. habita in aud. Reg. Acad. Par. in festo Pentec. anni 1586, pro Nolani articulis.

(2) *Articuli de natura et mundo*, a Nolano in principibus Europæ Academiis propositi : quos Joh. Hennequinus, nobilis Parisiensis, sub ejusdem felicibus auspiciis contra vulgaris et cujuscumque philosophiæ professores, triduo Pentecostes, in Univ. Paris. defendendos evulgavit.

mutato ordine, quippe quæ Aristotelis libros gradatim insequuntur.

Articuli sunt centum et viginti. Accedunt etiam aliæ circa eandem materiam assertiones, Pythagoricæ et Platonicæ, Peripateticis philosophis imperviæ ; quas Brunus probare profitetur, quæque ipsius de Natura rerum doctrinam summatim delineant.

De disputationis ipsius eventu compertum nihil habemus. Non tam prospère evenisse dixeris; abiit enim paulò post Jordanus, et è Galliæ tumultibus sese dicit elapsum, in epistola ad senatum Wittebergensem.

Indè igitur egressus Marpurgum se contulit, ibique in Academiæ matriculis nomen inscribendum curavit. Cum autem docendi veniam rector abnueret, paucorum fecit moram dierum (1).

Et Wittebergam statim facto itinere, est ab ejus universitatis professoribus humanissimè exceptus. Bien-

(1) Hæcce habent Annales acad. Marp : « Anno Chr. Salvat. nostri 1586, Calendis Julii, unanimi prof. consensu Petrus Nigidius, Juris doctor, et philos. mor. prof. ord., Rector Acad. Marp. electus est; sub cujus magistratu sequentia nomina in matricula Acad. relata sunt : ... N°. 8. Jord. Brunus Nolanus, Neapolitanus, Theologiæ doctor Romanensis, 25 Jul. 1586. Cæterùm, cum eidem potestas publicè profitendi philosophiam per me cum consensu facultatis philosophicæ ob arduas causas abnueretur, adeò excanduit, ut mihi in meis ædibus procaciter insultaret, quasi verò in hac re contra jus gentium et consuetudinem omnium Universitatum Germaniæ et contra omnia studia humanitatis agerem ; ac propterea pro membro Academiæ ampliùs haberi noluerit. Undè facilè voti sui compos factus, rursùs ex albo Universatis per me exauctoratus est. (Conf. Wagner, Opere di G. Bruno).

nium non modò logicam artem Lullianam publicè licuit profiteri : sed etiam de Natura rerum et de Aristotele sententiam, a cæterorum quamvis longè abhorrentem, docendi ad finem usque licentiam habuit; cujus quidem se beneficii non immemorem in Epistola ad Senatum, et in *Oratione valedictoria* præbuit (1).

Wittebergæ Lutheranorum sese sectæ addixisse nonnulli crediderunt, indè judicantes, quòd a Wittebergensibus ad reformatiores ritus sese advocatum profiteatur (2). A Lutheranismo quam a Romanæ ecclesiæ adstrictiori disciplina illum minùs alienum fuisse facilè crederem; sed ex aliis eum philosophi, non Christicolæ in Germania præ se titulum tulisse patet (3).

Diabolum quoque ab eodem defensum publicè laudatumque Wittebergæ fuisse, diù creditum est (4).

(1) « His adde quòd cum (pro more ingenii mei) nimis fortè amore mearum opinionum raptus, talia in publicis illis lectionibus expromerem, qualia non solum vobis probatam sed et pluribus sæculis et quasi ubique terrarum acceptam convellerent philosophiam... Quamvis ea in vestro proponi videretis, quæ licet itidem in regiis Tolosæ, Parisiorum et Oxoniæ auditoriis obstrepuerint priùs... non nasum intorsistis etc.» (Ep. ad Sen.)

(2) Orat. consolat. in obitum p. Jul. Brunsv. ducis. 1589.

(3) « Vos me suscepistis... non in vestræ religionis dogmate probatum vel interrogatum, sed tantùm quòd non hostilem, sed tranquillum generalique philanthropia præditum spiritum, philosophicæ professionis titulum (quo tanquam minimè schismatico et divortioso, minimèque temporibus, locis occasionibusque subjecto, maximè gaudere gloriarique soleo) præ me tuli et ostendi. » (Ep. ad. S.)

(4) « Lorsqu'il est dit dans les Chevræana, p. 388, que

Absurdum sanè rumorem, non tamen sine quadam causa sparsum arbitror : *Diabolos salvatum iri* (quod quidem Brunum docuisse et Scioppius affirmat) dicere ille potuit, qui Dei fatales iras et æternas inficiabatur Erinnyes, imò in Universo optimo maximo diabolis ne locum quidem superstitem reliquit.

Libros dum Wittebergam incolabat, hosce edidit :

De lampade combinatoria Lulliana, ad infinitas propositiones et media invenienda ad dicendum et argumentandum juxtà modum habitus, quo saltem quispiam de quocumque subjecto descriptivam quandam et qualemcunque quid nominis habeat rationem lucretur. Est et unica clavis ad omnium Lullianorum cujusque generis operum intelligentiam et non minora plurima Pythagoricorum et Cabalistarum mysteria consequenda. — Ad ampliss. Viteb. Acad. Sen. 1587.

De progressu et lampade venatoria Logicorum, ad promptè et copiosè de quocumque proposito problemate disputandum. Viteb. 1587.

Ad similitudinem venationis rerum et verborum copiam inveniendi methodus traditur informata. Venandi campum, venatile, canem, retia, hastam, etc. : hoc est, intellectum, et problemata et inveniendi rationes varias per metaphoram Brunus describit.

Jean Bruno, Italien, a loué le diable dans une harangue publique a Wittenberg, je m'imagine qu'on veut parler de Giordano Bruno, natif de Nole, qui a été longtems en Allemagne. Mais je doute qu'on lui eût permis de prononcer un pareil panégyrique. (Leibnitziana, sive Medit. etc.)

Cameracensis Acrotismus, etc. 1588.

Oratio valedictoria, Vitebergæ habita 1588.

Pragam indè quin se Brunus contulerit, nonnulli dubitavere; ipse tamen Scioppius, quem rei testem invenimus, paucis post annis ibidem est commoratus librosque illius quosdam habuit. Unum etiam de arte Lulliana ibi evulgatum fuisse titulus indicat :

De specierum scrutinio et lampade combinatoria Raim. Lullii, doctoris Eremitæ omniscii propemodùmque divini. — Ad excell. Guill. de S. Clemente, regis Hispan. in aula Imperat. Legatum. Pragæ; Excud. G. Nigrinus, 1588.

Addendum, ex unius scilicet Tennemanni testimonio, libellum aliud, Cameracensi Acrotismo simillimum :

Articuli CLX adversùs hujus temporis mathematicos, et philosophos; itemque CLXXX praxis ad totidem problemata.

Indè Brunsvigam anno 1589 delatum et a ducibus Julio et Henrico Julio benignè exceptum videmus. Quorum beneficio et expensis Helmstadium missus, biennium ibi philosophiam privatim docere potuit (1). Et cum dux Julius eodem anno 1589 Helmstadii obiisset, in fine exequiarum orationem habuit.

(7) In mentem ergo, in mentem, Itale, revocato, te a tua patria honestis tuis rationibus et studiis pro veritate factum exulem, hic civem; ibi gulæ et voracitati lupi Romani expositum, hic liberum; ibi superstitioso insanissimoque cultui adtrictum, hic ad reformatiores ritus adhortatum; illic tyrannorum violentia mortuum, hic optimi Principis amœnitate et justitia vivum... (Oratio consol.)

(*Oratio consolatoria* habita in illustr. celeb. acad. Julia in fine exequiarum in obitum illustr. et potent. pr. Jul. Brunsv. ducis. Prima mens. Jul. an. 1589.)

Francofurtùm anno 1591 se recepit, librum editurus, ut narrat Scioppius; ibique aliquandiù mansit. Professorem etiam videtur egisse; namque opusculum ejus manu scriptum, auditoribus quibusdam, ni fallor, dictatum, de Artificio perorandi, Francofurti ab H. Altstedio est repertum. Libellum etiam Brunus ipse, quem ultimum fecit de arte inveniendi, ibidem typis tradidit :

De imaginum, signorum et idearum compositione, etc., Francof. 1591.

Id autem præcipuum egisse tum temporis videtur, ut poëmata duo, Lucretii de rerum natura poëmati non admodùm absimilia, et explanatoriis adaucta commentariis, prodirent : alterum

De triplici minimo et mensura, ad trium speculativarum scientiarum et multarum activarum artium principia libri V. (Ad illustr. et rever. pr. H. Julium. Francof. (1591.) Alterum :

De monade, numero et figura, liber consequens quinque de minimo, magno et mensura. Item *de innumeris, immenso et infigurabili, seu de Universo et mundis libri octo* (Ad pr. H. Jul. etc., Francof. 1591.)

Versibus properanter nimiùm et currente conscriptis calamo, nec semper latinè satis aut lucidè, in libris de Triplici minimo et mensura philosophemata eadem quæ italicè in dialogis *de Causa et Uno* proposuerat, nova induit specie, mathematica scilicet et Pythagorica. Ex triplici uno et minimo, quod est naturale sive physi-

cum, et mathematicum, et metaphysicum, quodque est idem maximum et infinitum, — finitæ magnitudinis genus omne et varietatem educit : Ex monade metaphysica rerum essentiam, ex physica multitudinem, ex geometrica, (quod est punctum), lineam et superficiem et corporum figuras. Sphæram ille simplicissimam prædicat figurarum :

» Nam nihil est cyclus præter spectabile centrum, » et immensa magnitudo non est nisi sphæra cujus est centrum aut nullum, aut ubique.

Consequuntur libri de immenso et innumerabilibus, eundem nempe, ac liber : « *De l'infinito universo e mondi* » titulum præ se ferentes. Ferè integra de natura et de Deo Jordani doctrina tam versibus ipsis quam amplissimo qui gradatim comitatur commentario continetur.

Sunt librorum Bruni, quot supersunt, ii qui Francofurti prodierunt, ultimi; nec eos potuit ad finem ipse perducere. Subitò enim indè discedere (qua de causa, non liquet) coactus, per litteras typographum adhortatus est, ut opus inceptum perficeret, ducique Henrico dicaret (1).

Tandem de viri operibus ut dicendi finem facia-

(1) « Opus aggressus, ut quam accuratissimè absolveret, non schemata solum ipsesua manu sculpsit, sed etiam operarum se in eodem correctorem præbuit. Tandem, cum ultimum duntaxat superesset operis folium, casu repentino a nobis avulsus, extremam ei, ut cæteris, manum imponere non potuit. Per litteras itaque rogavit, ut quod sibi per fortunam non liceret, nos pro se suo nomine præstaremus... » (Epist. Wechelii ad ducem H. Jul.)

mus, ea demùm colligenda sunt, quæ posterioribus annis in vulgum alii dederunt, et ea quæ nunquam excusa latent, aut omninò interiere, quorumque nomina cuncta apud Jordanum passim occurrunt :

Summa terminorum metaphysicorum J. Bruni Nolani. Accedit ejusdem *praxis decensus* seu explicatio entis. — Ex Msto per Raph. Eglinum Jconium Tigurinum. Marpurgi Cattorum 1609.

Artificium perorandi, communic. ab H. Altstedio Fref. 1612.

L'Arca di Noe. — *Clavis magna*. — *Triginta statuæ*. — *Templum Mnemosynes* : quæ omnia circa Logicam versantur artem. Cætera ad Physicam spectant et Metaphysicam : *De anima*. — *De multiplici mundi vita*. — *De Naturæ gestibus*. — *De principiis veri*. — *De Astrologia*. — *De magia physica*. — *De sphæra*. —

Francofurto cum excessisset, nescio qua fati pulsus malignitate in Italiam confestim reversus est. Jam enim anno 1592 fama ad Germanos nuntium attulit, eum Patavii hærere. « Quæro etiam unum, (scripsit anno eodem ad Mich. Forgaz Valens Acidalius,) is quem Vitebergæ nosti, Nolanus Patavii nunc apud vos vivere et docere dicitur. Itane est? Et quid hoc hominis in Italia audet, ex qua, ut olim fatebatur, exul abiit? miror, miror, nec rumori adhuc fidem habeo, etsi ipsum à fide dignissimis..... » (1).

Quid indè ad annum 1598 egerit, latet. Ad Padum extraque pontificis Romani jurisdictionem ideò videtur degisse, quòd speraret, nunquam a Venetorum senatu

(1) Vide apud Bruckerum.

sese Inquisitionis officio traditum iri. Quæ tamen cum spes fefellit; quippe Venetiæ in vincula est conjectus, *ubi diù satis cum fuisset* (1), tandem Romam missus est, (anno 1598), et ab Inquisitorum collegio interrogatus sæpè monitusque. Cum autem supplicii formidine nihil commotus a philosophia sua desciscere noluerit, tandem in se sententiam publicè, uti est a Scioppio relatum, ferri audiit. Enarrata est ejus vita, sunt denumerati errores; denique excommunicatus est et sæculari traditus auctoritati, « *ut quam clementissimè et sine sanguinis effusione puniretur !* » — « *Majori forsan*, — respondisse Brunus dicitur, — *cum timore in me sententiam dicitis, quam ego accipiam.* » Octavo deinde die in Campo Floræ ante theatrum Pompeï est rogo impositus, vivensque combustus publicè, — « *renuntiaturus in reliquis illis, quos finxit, mundis, quonam pacto homines impii et blasphemi a Romanis tractari soleant...* »

Dùm flammæ Brunum involvebant, et in cinerem nobilis ille vultus vertebatur, Lutheranum cremari circumfusa plebs dictitabat. Scioppio autem facilè fidem habeo, cum tam crudelis supplicii causas alias indicat. In Dominicanum apostatam, non Romanæ modò ecclesiæ, non Christianæ sed cujuscumque fidei divinitùsque revelatæ religionis adversarium, quid mirum, Dominicanos inquisitores et clericos universos velut in diabolum odio vehementi et horrore fuisse incensos? Accedit quòd fervida nimiùm mente, suarumque fortiter opinionum amans, excelsitate quadam animi et superbia judices læserit. Quæ etiam superbia, et gloriæ

(1) Vide suprà Scioppium.

spes nunquam perituræ carceris potuit miserias et rogi ultimos dolores lenire.

Sic igitur cruciatus interiit Brunus ille qui tamdiù omnes Europæ nationes velut peragrans, indefesso ad finem usque animo hominum ingenia ab avitæ philosophiæ servitute et errore ad libertatem novam, et redivivam, quæ videbatur, veritatem fuerat adhortatus. Plus quam viginti annos pro ea quam optimam ducebat et hominum societati utilissimam, doctrina pauperiem passus est, et odia plurimorum et convicia, eamque conscientiam solitudinis, cujus quasi horrore abrepti, a novis et melioribus sententiis ad veterem sæpè et vulgo probatam revocamur doctrinam. Præstanti, quo ille erat, ingenio divitias potuisset adipisci et potentiam, celebratumque apud omnes nomen, si ea, quorum ferè omnes flagrant desiderio, et ipse philosophiæ studiis anteponens, oculorum voluisset obcæcare aciem, et intellectum vocemque comprimere. Potius autem ipsi visum est, pro ea, quam sibi fecerat, veritate errabundam sollicitamque pati vitam, et vincula, et in pyra denique martyrium... Quid enim obstare potest quin et hunc martyrum numero adscribamus et dignemur corona? Non enimverò ii sumus qui, in tanta sententiarum per orbem diversitate, uniùs tantùm, cui assentimur ipsi, aut religionis aut philosophorum sectæ miremur defensores; quin imò omnes, quotcumque sincero fortique animo vitæ veritatis studia antetulerunt, laudibus æquis decet extollere, parique colere veneratione.

At verò, hanc nostram admirationem si quis idcircò

vituperet, quòd præfidens fuerit vir nimiùmque audens, et in odia promptus, et a se ipso passim discrepans, et multorum denique obtrectator dogmatum quæ vulgi et nunc reverentiam jure obtineant : — meminerit ille, fiduciæ ejus et superbiæ fuisse in præstantissimi ingenii conscientia exordium et, uti solet fieri, in adversariorum superbia manifestaque ignorantia incrementum ; non nisi irrisum objurgatumque jurgia et satiras adhibuisse ; neminem unquam, quod vilia facilè audent ingenia, læsisse calumniis, eosque qui sese amicos ipsi præstitissent et benefactores, ferventi omnes amore ad exitium usque coluisse. Atque, in tanta doctrinæ copia et varietate quid mirum non semper et ubique sibi eum constitisse cui, sub sole calidiori parto, non poterat cum generosa illa Italorum cogitandi ubertate et celeritate cauta etiam contingere Anglorum Germanorumve patientia?... Quid mirum denique si ex diuturna servitute in libertatem recèns elapsus, velut juvenili quadam abreptus temeritate plures quam decebat, fecerit doctrinarum ruinas? Et id enim humanum est...

PARS II. JORD. BRUNI PLACITA.

CAP. I. DE PROPRIO PHILOSOPHIÆ FUNDAMENTO.

Tutti gli orbi non vagliano per uno che vede, e tutti gli stolti non possono servire per un savio...

(La Cena, 131.)

Philosophorum qui seposita omni externa auctoritate et mentem humanam tutissimum cognoscendi fontem prædicantes, ejus, quæ nunc floret, philosophiæ initium fecerunt, et instaurationem scientiarum, rectè velut nuntium præparatoremque Brunum habebis. Primum enim illud methodi præceptum : « *Ne quis, nisi rerum evidentia coactus, affirmet.* » — Baconis Cartesiique posteà beneficio vulgatum, hicce noster semel iterumque docet, atque iisdem quibus illi, firmat argumentis. Ipsum etiam sese rationibus certis, non alienis niti oraculis, jactat sæpè, nec quidquam aut veterum, aut vulgi Aristotelisve auctoritati concedere. « *Volens enim fallitur qui temerè credit, ubi temerè credere non cogitur, ubi non sine ratione adstipulandum subscribendumve, ubi scientiæ nostræ, nostræ conscientiæ lumen non suffragatur* » (1).

(1) Excubitor etc, p. 12.

Quæ enim antiquitas nuncupatur, generis humani ea est revera infantia et adolescentia; nostrum, non Orphei Aristotelisve sæculum, hominum maturiorem ostendit ætatem; nos sumus veteres, et nostra est quæ veteribus tribuitur, auctoritas et sapientia (1).

Ceterùm, sicut nemo servus non ex antiquis regibus, nemo rex non ex antiquis servis trahit originem, — ità opiniones omnes obscuræ fiunt et illustres alternis vicibus. Aristoteles ipse antiquam tùm temporis et diù celebratam subvertit doctrinam, novusque ipse fuit quondam et vetustioris sapientiæ contemptor... (2).

Nec quidquam Aristotelis adjicit auctoritati tanta commentatorum, et summistarum turba et translatorum, si ex sanioris magisque regulati sensùs testimonio, exque vivis et efficacibus manifestum fiat demonstrationibus, falsum id esse quod verum isti habuerint (3).

(1) Se voi intendeste bene quel che dite, vedreste che dal vostro fondamento s'inferisce il contrario di quel che pensate: voglio dire, che noi siamo più vecchi et abbiamo più lunga età, che i nostri predecessori, etc (La Cena p. 133.)

(2) Excubitor, p. 9. — La Cena, 133.

(3) *Burchio:* Volete far vane tante fatiche, studj, sudori, di fisici auditi, di cieli e mondi, ove s'han lambiccato il cervello tanti grau commentatori, parafrasti, glosatori, compendiarj, summisti, scoliatori, translatori, questionarj, teoremisti? ove han poste le sue basi e gittati i suoi fondamenti i dottori profundi, sottili, aurati, magni, inexpugnabili, irrefragabili, angelici, serafici, cherubici e divini?

Teofilo: *Adde* li frangipetri, sassifragi, li cornupeti e calcipotenti. *Adde* li profundivedi, palladj, olimpici, firmamen-

Quis autem vulgi opiniones occlusa oculorum acie temerè accipiendas contendat? cum credendi consuetudine ductum et quadam fidei imbecillitate, fabulosa multa et puerilia vulgus ità teneat, ut plus ea possint, quam quæ sensibus expressiùs cognoscuntur : quod quidem et ipse docet Aristoteles. — Præstantiùs est certò, sapere cum paucis, quam cum pluribus desipere...

Hæcce de veterum, de Aristotelis, deque vulgi infirmitate, et multa præterea, optimè sensit Jordanus. Nec theologiæ ancillam esse philosophiam illi placuit, aut veram religionem hominum intellectui esse adversariam. Quid enim? « *Oculos sensûs et intellectûs nonne ad libitum stultorum præstigiatorum et ignorantum occludamus, inque beneficum Deum et naturam ingrati effodiamus nobis, et abjiciamus; quasi hæc dona cum aliis numinum eorundem donis consistere nequeant, et quasi veritati veritas, veraque lux luci veræ obsistere possit et adversari?* (1)... Ideò theologorum doctissimus quisque nunquam se philosophis hostem ostendit, id nimirùm considerans, ignaræ plebeculæ esse credere, philosophorum ex argumentis veritatem discere (2). Sed pau-

tici, celesti, empirici, altitonanti.... non voglio crederli senza causa, nè ammetterli quelle proposizioni de le quali le contradittorie sono tanto espressamente vere. (De l'Infin. Dial II, p. 67.)

(1) Excubitor, 13.

(2) Li non men dotti che religiosi teologi giammai han pregiudicato a la libertà de 'filosofi; e li veri, civili e bene accustomati filosofi sempre hanno favorite le religioni; per che gli uni e gli altri sanno, che la fede si rechiede per l'insti-

eorum est ea sententia. Cæteri, exuta naturæ dignitate, et spretis ingenii dotibus, quasi mutilam externæ auctoritati mentem tradunt, vocis imperio, et freno et bacillo bestiarum more gubernandam (1).

CAP. II. DE NOLANÆ PHILOSOPHIÆ FONTIBUS.

> Sono ampuiste radici, che germogliano; son cose antiche che rivegnono; son veritadi occolte, che si scuoprono; è un nuovo lume, che dopo lunga notte spunta a l'orizonte et emispero de la nostra cognizione, et a poco a poco s'avvicina al meridiano de la nostra intelligenza.
>
> (De l'Inf. D. v. 82.)

Quam libero fuerit noster suique juris ingenio, ex nuperrimè dictis elucet. Non tamen, uti postea Cartesius, eò provectus est libertatis ut omnibus hominum in dubitationem vocatis doctrinis, indè novæ sumpserit initium philosophiæ; nec adeò potuit sæculum suum et magistrorum disciplinas exuere, quin antiquis scriptoribus aliquantum auctoritatis concesserit, atque eo-

tuzione di rozzi popoli, che denno esser governati, e la dimostrazione per li contemplativi, che sanno governar sè et altri (De l'Inf. p. 27.)

(1) Fermaro i passi, piegaro e dismessero le braccia, chiusero gli occhi, bandiro ogni propria attenzione e studio, riprovaro qualsivoglia uman pensiero, rinìegaro ogni sentimento naturale, et in fine si tennero asini, e quei che non erano, si trasformaro in questo animale; alzaro, distesero, acuminaro, ingrossaro e magnificorno l'orecchie, e tutte le potenze de l'anima riportorno et uniro ne l'udire, con ascoltare solamente e credere: come quello di cui si dice: *In auditu auris*

rum plurima adhibuerit dogmata. Potiùs imò ad vindicandam eam quam sibi fecerat auxiliis illis doctrinam, quam ad paranda novæ philosophiæ fundamenta, liberiorem methodum professum esse dixerim.

Democrito primùm et Epicuro fuisse addictum sese ipse fatetur (1), quorum quidem ex Lucretii poëmate multa solet accire. Plotini deinde et Platonicorum factus discipulus ducibus iis et Xenophenem probavit, et Pythagoram et Platonem, Cabbalistarum etiam nonnulla. A Plotino philosophiæ suæ metaphysicæ principia plurima et lineamenta accepit: Ethicam quoque Alexandrinorum doctrinam imitatus est in libris *de Heroïco amore*.

Id etiam notandum arbitror, in priore de Metaphysicis librorum velut cyclo, quem scilicet Londini Brunus italico scripsit idiomate, Platonis, — in cyclo posteriore, qui Francofurti prodiit, Pythagoræ potiùs illum et Mathematicorum sese præbere discipulum: eandem et hîc nimirum cum Platone viam secutum; quippe et Plato olim in Pythagoricorum numeris senescens conquievit.

obedivit mihi... Così li nostri divi asini privi del proprio sentimento et affetto vegnono ad intendere non altrimente, che come li vien soffiato a l'orecchie da le revelazioni o de li dei o de' vicarj loro, e per conseguenza a governarsi non secondo altra legge, che di que' medisimi. Quindi non si volgono a destra o a sinistra, se non secondo la lezione e ragione, che li dono il capestro o freno, che li tien per la gola, o per la bocca; non camminano, che come son toccati. (Cabala de l'Asino etc. p. 273.)

(1) De la Causa, 251.

Aristotelis dogmata quædam, sed invitus, accepit terminosque metaphysicos propemodùm universos.

Recentioris ævi philosophos laudavit paucos : Lullium tamen, et Cusanum divinos appellat; Telesii firmum miratur judicium; Paracelsum medicorum dicit principem ; — cæterorum ne nomina quidem occurrunt, excepto Ramo quem, Aristotelis quamquam adversarium, eloquentem magis quam philosophum prædicat, et Patritio (1), quem penitùs despicit, et Cornelio Agrippa, cujus Pyrrhonicam refellit vituperatque philosophiam.

Veteres igitur sæpiùs quam recentiores sequitur phi-

(1) Or considerate quel profitto ch'han fatto doi cotali, de' quali è un Francese arcipedante, ch'ha fatte le scole sopra le arti liberali, e l'animadversioni contra Aristotele; et un altro sterco di pedante italiano, che ha imbrattati tanti quinterni con le sue discussioni peripatetiche. Facilmente ognun vede ch'il primo molto eloquentemente mostra esser poco savio, il secondo, semplicemente parlando, mostra aver molto del bestiale et asinino. Del primo possiamo pur dire, che intese Aristotele, ma che l'intese male; e se l'avesse inteso bene, arebbe forse avuto ingegno di far onorata guerra contra lui, come ha fatto il giudiziosissimo Telesio Consentino. Del secondo non possiamo dire che l'abbia inteso nè male nè bene, ma che l'abbia letto e riletto, cucito, scutito e conferito con mill'altri greci autori, amici e nemici di quello, et al fine fatta una grandissima fatica, non solo senza profitto alcuno, ma ancò con un grandissimo sproposito : di sorte che, chi vuol vedere, in quanta pazzia e presuntuosa vanità può precipitar e profondare un abito pedantesco, veda quel sol libro, prima che se ne perda la semenza. (De la Causa 250.)

losophos, atque illos inter, Pythagoram, et præsertim Plotinum : hunc enim imitatur, hunc advocat ubi de gravioribus fit disceptatio.

Porrò antiquitatis imitatorem æmulumque Jordanum non dogmata tantummodò, imò magis libros componendi et scribendi ratio demonstrat. Comœdiam enim suam ex Plautinis est propemodùm mutuatus : Platoni in dialogis non tam sese præbuit dissimilem; in carminibus de Minimo et de Infinito Lucretium conatus est æmulari. Libri denique « de gli Eroïci furori » Salomonis Cantica et Plotini de contemplatione doctrinam ità imitantur, ut et indè liceat colligere quanto vir ille ardore studia antiquitatis fuerit amplexus, quantumque apud omnes, ea ætate, veterum exempla et auctoritas viguerint.

CAP. III. DE BRUNI FAUTORIBUS ET ADVERSARIIS.

..... io odiato da stolti, dispregiato da vili, biasimato da ignobili, e perseguitato da genj bestiali; io amato da savj, ammirato da dotti, magnificato da grandi, stimato da potenti, e favorito da li dei.....

(De la Causa, ep. ded.)

Platonem et Pythagoram, et vetustiora etiam Orphei et Hermetis et Moysis nomina quamvis præ se noster tulerit, apud eos tamen minimè acceptam videmus Nolanam philosophiam, apud quos maximè jactabatur veterum auctoritas : vulgaris videlicet et philosophiæ et theologiæ fautores. Tot enim commentatorum et summistarum sudoribus eò perducta videbatur rerum

omnium notitia, tantaque sæculorum doctissimorumque nitescebat virorum majestate; ità absolutum omnibus numeris scientiarum systema dixisses, ut nihil posset adjici, nihil immutari. Avitum igitur doctrinæ corpus non augere, sed ediscere, non perficere, sed integrum et semper idem nepotum religioni tradere, nitebantur etiam tum ii omnes qui doctorum gloriabantur titulo et immunitatibus. Atque, uti ex divina quadam lege in omnibus, quæcumque humana sunt, solet fieri negotiis, quæ cum diù provecta constiterint, stare nequeunt, sed retrorsùm statim trahuntur, ità Scholasticam doctrinam velut senilis sensìm invadebat mediocritas, et desidia, crescensque in dies sterilitas. Quod quidem sæpè et Brunus conqueritur (1).

Dum autem in academiis et monasteriis parciùs vita fluebat et lucebat scientiarum lumen, paulatim indè ad novum confugit patrocinium neglectus Musarum chorus. Non ex disputantium doctorum strepitu et professorum auditoriis, sed ex castris bellicis prodiisse novam illam Cartesii methodum et philosophiam : non pontificum, sed regum interfuisse consiliis Baconem illum qui scientiarum est Instaurationem molitus, — neminem certò fugit. Atque etiam anteà apud legum

(1) Quindi avviene, che li dottori vanno a buon mercato, comme le sardelle; per che, come con poca fatica si creano, si trovano, si pescano, così con poco prezzo si comprano. Or dunque, tal essendo a presso di noi il volgo di dottori in questa etade, accade, che tanto manca, che uno per chiamarsi dottore possa esser stimato aver novo grado di nobiltade, che più tosto è suspetto di contraria natura e condizione, se non fia particolarmente conosciuto... (De la Causa, p. 226.)

peritos aut medicinæ, et in principum aulis, philosophiæ magis studia florebant, magisque vigebat generosa discendi cupido quam in Scholarum pulvere et tumultu; et permulti, si Bruno fides habeatur, erant ii qui, nobili loco orti, doctrina quam origine nobiles esse mallent (1). Qui, nec credendi consuetudine, nec propriæ utilitatis studio, nec ullo ex superbia pudore coacti, in antiquis minimè hærebant disciplinis: imò suadentibus novitatis illecebris et desiderio libertatis et gloriæ cupidine, odioque etiam theologici supercilii incitante, ad inusitatas quærendi vias et inaudita dogmata facilè deficiebant.

Hujusmodi igitur viros Jordanus philosophiæ suæ discipulos et admiratores habuit. Ab his, ubicumque esset, honorificè exceptus est et laudatus, et ad magis audendum concitatus; eorundem etiam patrocinio nutritum saepè videmus et defensum. Lutetiæ J. Morum, Venetorum legatum adeptus est patronum et J. Regnault, H. d'Angouleme a secretis consiliarium, in Anglia Michaëlum a Castellonovo, et Sidneum et Grevillam; multos etiam Anglorum nobiles ei narrat interfuisse disputationi quam Oxoniæ de Copernico habuit. Pragæ deinde ab Hispanorum legato, Helmstadii ab ipsis Brunsvigæ ducibus est tutatus.

(1) Quindi accade che quei, che per linea, o per altri accidenti son nobili, ancor che li s'aggiunga la principal parte di nobiltà, ch'è per la dottrina, si vergognano di graduarsi e farsi chiamar dottori, bastandoli l'esser dotti; e di questi arete maggior numero ne li corti, che ritrovar si possano pedanti ne l'universitade. (De la Causa, 226).

In Academiis autem et professorum collegiis parum potuit proficere. In alumnorum tanta frequentia non id quidem dubito quin ab Aristotele multos avocaverit : cum tam prona in libertatem et in nova quæcumque sese ubique præstet juvenilis ætas; doctiorum etiam unum et alterum ad se illum traduxisse credibile est. Sed eorum longè plurimos non modò adversarios, sed osores habuit irrisoresque. Qui, cum argumentorum ad confutanda Jordani ratiocinia nec copia nec pondus suppeteret, ad fastidia et criminationes solebant confugere, hominem nihili, et temerarium et ambitiosum, et hæreticum, insania etiam captum illum dicentes: — hominem nihili et temerarium sophistam, qui doctores in præcipuis Europæ academiis philosophiam professos auderet adhortari, ut exuerent Aristotelem, et ipsum quasi novum philosophiæ coryphæum secuti, velut *repuerascerent* (1); ambitiosum qui novam et falsam suscitare sectam, quam veterem et veram firmare maluisset (2); insanum et Anticyram navigantem, qui philosophiam suam ex Luciani Veris Narrationibus mutuo cepisset, hæreticum et hominem nequam, cui animo sederet bo-

(1) Andate, andate, più dotti ch'Aristotele! via, via, più divini che Platone! più profondi ch'Averroe! più giudiziosi di sì gran numero di filosofi e teologi di tanta etade e tante nazioni, che l'hanno commentati, ammirati e messi in cielo! Andate voi, che non so chi siete, e d'onde uscite: e volete presumere d'opporvi al torrente di tanti gran dottori ?... (De l'Inf. 68... Conf. ibid. 85.)

(2) De l'Inf. Epist. proem.

nas subvertere disciplinas et ædificare machinas perversitatis... (1) « Ità me sancta numina ab istis omnibus tutentur » — exclamat Brunus — « uti injuria me oderunt ; ità propitius mihi maneat semper Deus, ità mihi faveant hujusce mundi gubernatores omnes, ità me astra adjuvent, ità hominum dormientia excitent ingenia et aperiant sensus eorum qui sunt luce orbati, ità demum mundo utiles efficiant hosce meos labores, uti certissimè ab omni simulatione sum alienus! Et si erro, me non errare arbitror, nec ipsius victoriæ cupidine motus disputo, — victoriam enim, si absit veritas, diis invisam et spurcam habeo, et vilissimam, — sed veræ sapientiæ amore et contemplationis veræ studio incensus memet defatigo et crucio et torqueo... » (2)

CAP. IV. BRUNUS LITTERATORUM ET GRAMMATISTARUM CASTIGATOR.

> Quel che abbiamo vissuto è nulla, quel che viviamo è un punto, quel che abbiamo a vivere non è ancora un punto, ma può essere un punto .. E tra tanto, questo s'intesse la memoria di genealogie, quello attende a deciferar scritture, quell'altro sta a moltiplicar sofismi di fanciulli.....
>
> (Er. fur. p. 404.)

Non verò semper Jordanus queritur adversariorum injurias : sæpius ulciscitur, et comtemptus contemnit, et irrisus irridet, et morsus ipse mordet. — At-

(1) De l'Inf. Epist. proem.
(2) De l'Inf. Proem. Epist.

que primùm quid de grammaticis rhetoribusque ille senserit, videamus.

Ex ævi medii tenebris èque scholastica subtilitate Græcarum potissimùm Romanarumque litterarum virtute evecta esse hominum ingenia neminem latet. Eo autem ipso quo vixit Brunus, tempore, veterum scriptorum studia maximè florebant, detinebantque animos inusitatis poëseos et eloquentiæ blandimentis. Cum autem eò natura hominum feratur genus, ut ex novissima quaque et minimè sueta re maximam hauriat delectationem, et gravioribus diù cum fuerint animi laboribus intenti, si quid minùs arduum occurrat, eò se convertant idque nimio amplexi teneant amore, eò ventum erat, ut philosophia plurimi prætermissa rerumque studiis, vocabula potissimùm Græca et Romana, veterumque dicendi simplicitatem elegantiamque ediscerent. In academiis igitur philosophantes paucos, humanistas et rhetores et grammaticos plerosque invenisses.

Philosophos quidem, Peripateticis addictos sententiis, adversarios Brunus habuit, iisdem tamen, quibus ipse, studiis intentos, nec qui controversiam abnuerent. Grammaticorum autem, et glossatorum, et commentatorum, eorumque qui versiculos et Ciceronianas concinnabant elegantias tantum aberat ut suffragia posset captare, ut ne audire quidem tam solemnem doctrinam dignarentur. Eos igitur mirum quantum dispicit, et irridet, et acerrimo tangit flagello.

Ne unum quidem conscripsit dialogum, quin tibi inter colloquii personas illorum unus occurrat, versus

et proverbia stillans latina, rariora spargens ex linguæ romanæ thesauro vòcabula, Ciceronianæ æmulus elegantiæ, et grandibus minima verbis, oraculorum instar, evolvens. Habes in comœdia: « *il Candelajo* » Manfurium, in « *la Cena de le Ceneri* » Prudentium, in: « *de la Causa* » Polyhymnium et Gervasium, et in aliis alios.

Queritur Brunus in dialogis de Causa et Uno (1), quòd Oxoniæ cum legem tulissent: *ne quis ad philosophiæ et theologiæ magisterium et doctoràtum promoveretur, nisi epotavisset è fonte Aristotelis*, ne huic quidem temporis et laboris aliquantum impendeant, sintque a studiis philosophiæ propemodùm alieni. « Cum enim magis Romanum et Atticum quam istius Academiæ doctores neminem invenias, illis iidem omninò dissimiles et contrarios sese profitentur et esse gloriantur, qui olim fuerunt; qui circà eloquentiam et grammaticam parùm solliciti, totique in Metaphysicam dediti (quam sophisticam et vanam nostra prædicat ætas), magis profecerunt, suumque principem Aristotelem ad majorem extulerunt gloriam et auctoritatem, quam nostrorum potuisset Latialis cloquentia et ars declamatoria. »

Adeò demùm abhorret ab hoc genere Jordanus, ut quotiescumque potest, inutiles istos, et in puerilibus vitam terentes homines irrideat mordeatque. Hæcce inter multa habent *Gli Eroïci furori* : « Quod viximus, nihil est, quod vivimus punctum; punctum forsàn id quod reliquum est. Atque intereà genealo-

(1) p. 226.

giis alii memoriam referciunt, alii characteres vetustate deletos maxima enucleant diligentia, alii puerilia sophismata multiplicant: librum e. g. unum invenies hujusmodi oraculorum plenum: *Cor est fons vitæ; nix est alba; ergo cornix est fons vitæ alba.* Quærit hic verbumne an nomen fuerit priùs inventum; quærit ille, utrùm mare primum an fontes extiterint; alii obsoleta moliuntur renovare vocabula, alii veræ et falsæ orthographiæ vitam impendunt, alii aliis delectantur nugis, quas spernere quam auscultare rectiùs malis. In iis jejunant, et extenuantur et marcescunt, ibique bonorum posuere fines. Iis auxiliis fortunam aspernantur, et ad astra evehi, et quod optimum est et pulcherrimun amplecti posse arbitrantur (1).

(1) Er. fur. 404.—Vide et: Candelajo, prol.—Spaccio 208. De la Causa, p. 227, 229. Ibi humanistam ità, facetè satis, delineat: « Questo pedante è un di quelli, che, quando ti aran fatta una bella costruzione, prodotta una elegante epistolina, scroccata una bella frase de la popina ciceroniana, qua è risuscitato Demosthene, qua vegeta Tullio, qua vive Sallustio. Qua è un Argo che vede ogni lettera, ogni sillaba, ogni dizione; qua Radamanto *umbras vocat ille silentum;* qua Minoc, re di Creta *urnam movet*; chiamano a l'esamina le orazioni, fanno discussione de le frasi con dire: Queste sanno di poeta, queste di comico, queste di oratore! questo è grave, quello è lieve, quello è sublime, quell'altro è *humile dicendi genus*; questa orazione è aspera, sarabbe lene, se fusse formata così; questo è un'infante scrittore, poco studioso de l'antiquità, non *redolet Arpinatem, desipit Latium;* questa voce non è Tosca, non è usurpata da Boccacio, Petrarca et altri probati autori. Non si scrive homo, ma *omo*,

CAP. V. QUID DE THEOLOGIS ET DE THEOLOGIA BRUNUS SENSERIT.

> Li nostri de la finta religione tutte queste glorie le chiamano vane, ma dicono che bisogna gloriarsi solamente in non so che tragedia cabbalistica.
>
> (Spaccio, etc. 162.)

Quamvis clericorum adeò Brunus odia reformidet, ut sæpiùs divinæ Bibliorum majestati adversum nihil sese audere profiteatur, tamen, qui mentis impetum refrenare nunquam valuit, et de theologis, et de ipsa theologia liberiùs quam pro ævi intolerantia, et quam alius quisquam ante sæculum decimum octavum est ausus, loquitur.

Monachorum avaritiam, et simulatam pietatem et ignorantiam, ipse quondam expertus, vehementer incusat. Eò ventum esse dicit, ut theologorum pravitas

nan honore, ma *onore*, non Polihimnio, ma *Poliinio*. Con questo trionfa, si contenta di sè, gli piacciono più ch'ogni altra cosa i fatti suoi, è un Giove che da l'*alta specula* rimira e considera la vita de gli altri uomini suggetta a tanti errori, calamitadi, miserie, fatiche inutili; solo lui è felice, lui solo vive vita celeste, quando contempla la sua divinità nel specchio d'un spicilegio, d'un dizionario, d'un Calepino, d'un lessico, d'un cornucopia, d'un Nizzolio. Con questa sufficienza dotato, mentre ciascuno è uno, lui solo è tutto. Se avviene che rida, si chiama Democrito; s'avvien che si dolga, si chiama Eraclito; se discorre, si chiama Aristotele; se fa chimere, si appella Platone; se mugge un sermoncello, s'intitula Demosthene; se costruisce Virgilio, lui è il Marone. Qua corregge Achille, approva Enea, riprende Ettore, esclama contra Pirro, si condole di Priamo, arguisce Turno, escusa Didone, commenda

despectam religionem ipsam fecerit (1). Pietatem istis et virtutem esse præstantem eam, quæ legem naturæ subvertat. Summam sapientiæ, opprimere intellectum et occlusis oculis credere.

Audaciùs etiam christianæ religionis dogmata impugnat nonnulla; alia, mutato tamen aut omisso nomine, ridet : nec immeritò librum de *Bestiæ triumphantis exilio* a Christicolarum fide maximè abhorrentem theologi prædicarunt. Etenim ibi, ut ab initiis exordiar, multò antiquiorem quam Moyses fecerit, orbem esse terrarum contendit; a pluribus, non ab eodem, patribus originem genus hominum trahere (2); in aureæ ætatis otiis et innocentia non majorem quam bestiarum, fuisse hominum virtutem, imò minorem industriam : ex necessitate enim ingenia exa-

Acate, et in fine mentre *verbum verbo reddit*, et infilza salvatiche sinonimie, *nihil divinum a se alienum putat*, e così borioso smontando da la sua catedra, come colui ch'ha disposti i cieli, regolato i senati, domati gli eserciti, reformati i mondi, è certo che, se non fusse l'ingiuria del tempo, farebbe con gli effetti quello, che fa con l'opinione. *O tempora! o mores!* Quanto son rari quei ch'intendono la natura de'participj, de li adverbj, de gli conjunzioni! Quanto tempo è scorso, che non s'è trovata la ragione e vera causa, per cui l'adiettivo deve concordare col sustantivo, il relativo con l'antecedente deve coire, e con che regola ora a dietro de l'orazione, ora avanti si pone, e con che misure e quali ordini vi s'intermescono quelle interjezioni *dolentis*, *gaudentis*, *heu*, *oh* ahi, ah, *hem*, *ohe*, *hui*, et altri condimenti senza i quali tutto il discorso è insipidissimo...

(1) De la Causa, 221.

(2) Spaccio, 235.

cui, et ardua tentari quæcumque et decora (1). — Nunquam fieri potuisse ut aquæ universo terrarum orbi superfusæ istam, quam Moyses finxerit, eluviem et animantium omnium internecionem efficerent. — Judæos; qui divinus nuncupetur populus, gentem fuisse leprosam, pestilentem et perniciosam, Ægypti velut excrementum; quam quidem, priusquam fuisset nata exstinguere oportuisset; legum horrenda iniquitate singularem : quæ pro patris delicto matrem liberosque decrevisset mulctari, nec unum unquam agri palmum comparasset nisi ex rapina et nationum aliarum excidio (2). — De Salomone quoque irreverenter satis Jordanus loquitur (3).

Ad Christianæ religionis originem et propria dogmata transeo. B. Mariæ virginitatem, et in missæ sacro hostiæ transsubstantiationem, antequam Italia excessisset, dicitur denegasse; et paucis pòst annis illum a Christiana fide adeò videmus alienum, ut Ægyptiorum, et Romanorum etiam, religionem nostræ apertè anteponat. Jovem quendam, non æternum illud et infinitum numen a quo penetrantur omnia efformanturque, a Christocolis contendit adorari; mortem iidem quam vitam malle profitentur : vano moventur plumbei judicii et partialis amoris, adamantinorumque ostiorum et catenarum horrore; cæremoniis et tragœdia quadam cabalistica quam in hominum societatem beneficiis Dii leniuntur et aperitur

(1) Spaccio, 203.

(2) Caqela etc. 258.—Spaccio, 197, 239.

(3) Spaccio, 124.

Olympi æterna felicitas. Ingenitam vim mentis non colere et augere, sed opprimere, legem naturalem pro ficta et absurda deserere, gloriæ illam, qua respublicæ confirmantur, generosam cupidinem prorsùs exstinguere, — eam demùm nostri ducunt summam virtutis.

Christum etiam Brunus, Orionis nomine indutum absconditumque, incusat, quasi homines ad pejora vocaverit. (1)

« O Ægyptus, Ægyptus! » — Trismegistum fingit exclamantem, « veniet dies, ubi ex religionibus tuis

(2) Dimandò Nettuno: Che farete... di quell'Orione?... rispose Momo: Mandiamolo tra gli uomini, e facciamo, che gli dono ad intender quello tutto che ne pare e piace, facendoli credere, che il bianco è nero, che l'intelletto umano, dove gli par meglio vedere, è una cecità, e ciò che secondo la ragione par eccellente, buono et ottimo, è vile, scellerato et estremamente malo; che la natura è una puttana bagassa; che la legge naturale è una ribaldaria; che la natura e divinità non possono concorrere in una buon fine, e che la giustizia de l'una non è subordinata a la giustizia de l'altra, ma son cose contrarie, come le tenebre e la luce; che la divinità tutta è madre di Greci, et è come nemica matrigna de l'altre generazioni, onde nessun può essere grato a li dei altrimente che grechisando, i. e. facendosi Greco.... Persuaderà con questo che la filosofia, ogni contemplazione et ogni magia che possa far gli uomini simili a noi, non sono altro che pazzie; che ogni atto eroïco non è altro che vigliaccaria, e che la ignoranza è la più bella scienza del mondo... Ma con timore, o dei, io vi dono questo consiglio, per che qualche mosca mi susurra ne l'orecchio, atteso che potrebbe essere, che costui al fine trovandosi la caccia in mano, non la tegna per lui, dicendo e facendogli oltre credere, che il gran Giove non è Giove, ma che Orione è Giove (Spaccio, 238.)

nihil erit reliquum, nisi fabulæ sæculis futuris incredibiles, ubi non nisi litteræ lapidibus incisæ pietatem narrabunt tuam! Atque eam non diis, non hominibus fatebuntur, — homines enim erunt mortui, et dii in Olympum remigraverint, — sed Scythis, et Indianis, aliisque silvaticæ naturæ gentibus. Tenebræ lucem obscurabunt, mors vita habebitur præstantior, nemo ad cœlum oculos attollet; religionis verè cultores judicabunt insanos, — impios, prudentes, — feroces, fortes, — et pessimum quemque, optimum. — Et credite mihi, mortem tunc proponent iis quicumque religionem mentis profitebuntur; novas quippe invenient justitias legesque, et nihil audietur sanctum, nihil religiosè dictum, nihil cœlo dignum aut cœlicolis. Soli remanebunt angeli perniciosi, qui immixti hominibus hosce impellent infortunatos ad scelerum omnium audaciam, — quasi sit ea justitia, — bella suscitantes et rapinas et fraudes, et alia quæcumque justitiæ et nature sunt adversa. — Atque ea erit mundi senectus, et confusio, et impia ætas. Tunc verò, ubi hæc omnia acciderint, Universi Pater omnipotens et rector, diluvio aquarum aut ignis, aut morborum et pestilentiæ, finem certò faciet tantæ protervitatis, mundumque revocabit in antiquum et pristinum vultum. » (1)

(1) Spaccio, 229.

CAP. IV. DE PERIPATETICIS ET DE VULGARI PHILOSOPHIA JUDICIA.

Quel che manco intendono, credono saper più, e quel che sono al tutto pazzi, credono saper tutto

(La Cena, 134.)

Peripateticos et eorum principem Aristotelem antè Brunum multi oppugnaverant, ex iis præsertim quibus Platonis placuerant dogmata. Cusanum (libro de Docta ignorantia) et Ficinum, et Corn. Agrippam (de Vanitate scientiarum) et Telesianam Academiam in Scholasticos bellum movisse quis ignorat? In Parisiorum etiam Universitate Petrus Ramus (1), postque eum Guill. Postellus (2) acerrimè Peripateticam insectaverant philosophiam.

Quorum studia non æquè omnium laudat Jordanus nec imitatur. Aristotelis enim Dialectica et Ethica prætermissis, Physicam tantummodò et Metaphysicam, easque maxima opera, refellit; inque omnibus, quoscumque de rerum natura conscripsit, libris vix unam invenies paginam quin illius argumenta lacessat. Nec minori ingenii acumine, quam ab Aristotele olim Platonem, Aristotelem a Nolano oppugnatum dicere audeo.

Et quidem de Peripateticis priùs. Qui (ut suprà dic-

(1) In Scholarum physicarum libris VIII, et Animadversionibus in Dialecticam Aristotelis.

(2) « Anno 1578 Guill. Postellus tanto auditorum, quasi ad redivivum et inusitatæ ætatis doctorem accurrentium, numero docuit, ut vix credi possit... Acerrimum tamen in Aristotelem bellum movebat (Launoïus, de Var. Arist. fort.)

tum) principem suum et numen, non quià rectè demonstrantem, sed quia veterem et plurimis probatum, sequantur. Attamen et Aristotelem ipsum fuisse novum quondam, et inaudita proposuisse, et falsa si doctrinarum veritas ex vetustate declaretur. Ceterùm, si quis rectè attendat, non illius, sed nostram ætatem antiquitatis nomine appellaturum. Consuetudinem jactant? ex consuetudine tamen absurdissima quæque credita esse neminem fugit. Christianæ fidei eos qui ipsis adversantur dicunt adversari? quænam verò fuit unquam philosophorum secta quæ a Christiana religione fuerit magis aliena? quæ mundum docet finitum et finitam efficientiam divinæ potestatis, mentes cœlestes octo tantummodò aut decem, animam morti obnoxiam quippe quæ sit corporis quoddam accidens, — et exindè Dei in homines justitiam nullam..... (1) Adde quòd Peripateticorum vulgus Aristotelis scripta nunquam attentè scrutaverit, nec satis intelligat.

Aristotelem ipsum noster, adversariorum scilicet violentia et pervicacia in iram prolatus, miserum sophistam et philosophorum, vocat stultissimum, qui Physicorum et Mathematicorum, Xenophanisque et Platonis dogmata, invidia motus et ineptia subverterit, et indè præsertim gloriam sit assecutus, quòd a nemine capi potuerit... De rerum natura quotiescumque iste quæsierit, sensûs, non intellectûs cum adhibuisse testimonia, prorsùsque negasse quidquid non valeat attingere oculorum imbecillitas. Tum demonstrationes plurimas conflasse circulares, et usurpata perperam

(1) La Cena, 175.

principia, fictasque rerum definitiones (1), ità demùm « *ut in universo Physico Auditu è multis, quos adduxerit, syllogismis, ne unum quidem demonstrativum attulerit* » (2).

Nec ità temerè de Scholasticorum principe nostrum dices judicasse, si illius sigillatim de tempore et spatio, de motu, de elementorum ordine, de mundo finito et uno sententias et argumenta scruteris.

Quæ inter innumera, in Jordani libris passim eversa, hæcce maximi esse momenti arbitror.

1. Quatuor rerum omnium Aristoteles fecit principia, materiam, formam, movens primum, et motus finem; duo prætermittit, tempus scilicet et spatium; quæ tamen nequeunt ad priora referri, quintumque et sextum causæ efficiunt genus : quis enim a tempore et loco rerum naturalium productionem absolverit? quis earum quidpiam citrà hæc fieri vel esse dixerit? (3).

2. De loco ceterùm et spatio pessimè putat Aristoteles; finitum enim, et corporeæ facit naturæ superficiem. Quod quidem jam a Lucretio videmus oppugnatum :

... « Præterea si jam finitum constituatur
Omne quod est, spatium, si quis procurrat ad oras
Ultimus extremas, jaciatque volatile telum,
Invalidis utrum contortum viribus ire
Quò fuerit missum mavis, longèque volare,

(1) De l'Inf. Univ. 33.

(2) Camerac. Acr. Art. L.

(3) Cam. Acr. p. 48.

An prohibere aliquid censes, obstareque posse?
Nam sive est aliquid, quod prohibeat, officiatque,
Quominu' quo missum est, veniat, finique locet se,
Sive foras fertur, non est ea fini' profectò... » (I, 967.)

Quod si ab Aristotele quæratur ubinam sint corpora, respondeatque ille, esse in mundo, et mundum in se ipso, mundique eundem esse locum et superficiem, nonne igitur quendam esse locum dicamus et spatium ex quo, et per quod et ad quod ferantur quæ moventur corpora; nonne erit unum et idem quoddam in quo erat aqua, et modò est aër, quodque nec aër nec aqua, nec aquæ aut aëris quædam qualitas? Id autem est quod spatium nosmet et vacuum nuncupamus. Vacuum esse negat Aristoteles, sed ità perperam definitum quasi sit nihil et in quo nullum existat corpus : nobis verò vacuum id est in quo existunt corpora et moventur, unum et infinitum, separatum a corporibus sed « *ipsis imbibitum*, » quo sublato nec corpora esse possent nec corporum motus (1).

5. Tempus facit mensuram motûs Aristoteles, et corporum quoddam accidens, ità ut sublato motu, tollatur et tempus. — At verò, si ex motûs celeritate tempus efficiatur, tot temporis, quot movendi habebimus genera : est autem tempus unum ubique et idem, nec quod motûs velocitas mensuret, imò a quo illa mensuretur. Ceterùm, si omnia quievcrint, nihilominùs tempus fore dicimus : ideòque non tempus, sed tem-

(1) Camer. acr. p. 60—73. De l'Inf. 23. 33.

poris cognitionem motui alligare debuit Aristoteles (1).

4. Nihil etiam jejunius fingi potest quam materia illa prima, Aristoteli rerum naturalium principium; logicum enim aut mathematicum, non physicum rectè consideranti principium apparebit : quod nimirùm ex se nullam, sed omnem aliundè habere dicitur actualitatem. Aristotelem autem ipsum hanc destruere materiam, manifestum est ex pluribus propriæ philophiæ locis, ubi nihil grave ex non gravi, nullum corpus ex non corpore fieri affirmat. (De cœlo lib. III (2).

5. Quam iste *formam* appellat, facitque unum è rerum principiis, et naturæ nomine ducit digniorem quam materiam, quonam potuit pacto principiorum numero adscribere? Formæ enim quæ sunt rerum particularium, nascuntur, corrumpuntur, et in materiæ velut fluctuantes superficie, a principii natura prorsùs abhorrent : principiorum enim est, manere semper. Restat ut formam id prædicemus quod nimirùm est formarum particularium causa; nec est tum etiam quòd formam constituamus principium : formas enim particulares aut ex vi mentis ordinatricis, aut ex natura materiæ se ipsam casu exagitantis effluere fatebimur, et formale principium aut Efficientem et materiam esse, aut solam materiam. Jactet igitur quantumlibet Aristoteles logicam materiæ et formæ distinctionem; nunquam reale et physicum principium habebit formam,

(1) C. acr. p. 78—85.

(2) C. acr. p. 45. — De la Causa, 275.

Digitized by Google

nisi vel factus Platonicus recurrat ad ideas, vel Pythagoricus ad numeros (1).

6. Triplex lationis genus discernit Aristoteles, quo circa ipsorum centra, quo sursùm, et quo deorsùm corpora moventur, et trium suarum lationum differentias concludit ex trium magnitudinum seu dimensionum differentia, levi nimiùm motus persuasione! Quid autem, si non *sursùm*, nec *deorsùm*, nisi respectivè, nosmet accipiamus, si mundum infinitum, et infinita mundanea corpora, si nullum esse secundùm rectam lineam motum nisi quo ad mundum quemque ferantur ejusdem mundi partes; si quod sursùm nobis, sit deorsùm solem lunamve incolentibus? (2).

7. Nullum igitur corpus absolutè aut grave dicendum aut leve, sed alius tantum corporis respectu, ad quem naturali quodam impulsu trahatur, aut a quo abhorreat refugiatque. « Quì enim absolutè grave potest esse, ubi, si ignis a nobis tanquam ad sphaeram suam, ad solem ascendat, solaribus ipsis descendere certè dicetur, sicut et ab illis ascendit ad nos descendens?... » Plurima tamen de corporum gravitate et levitate disseruit Aristoles, a sensu deceptus, nulloque adducto argumento (3).

8. Ficto igitur et debili nimiùm stat fundamento jactatus tamdiù ille Peripateticus elementorum ordo, quo scilicet imperante, deorsùm trahantur et Universi ima petant undique terrena corpora, deorsùm etiam

(1) Cam. acrot. p. 47. — De la Causa, 253. 277.

(2) C. acr. p. 95, 96...

(3) C. acr. 109—111.

minore ferantur impetu aquea, sursùm vehatur aër, rapiaturque ignis, et quinta quædam hisce omnibus superimposita essentia Universi æternum efficiat fastigium... Atque cum ipsius Aristotelis quibusdam pugnat sententiis iste elementorum ordo: quippe cum sphæricum ille mundum finxerit, aërem et ignem quæ ascendere in hocce terræ videntur hemisphærio, descendere in altero dicat necesse est. Ac elementorum istam velut hierarchiam et divortium ne sensûs quidem testimonia demonstrant: imò permixta omnia, aquam telluri non superfusam sed infusam, in humido elemento incolantem calorem et flammam, et contrariorum, non similium inter se amicitias (1).

9. Quid autem de quinta ista, quam nemo unquam vidit, essentia, quam astrorum fecit materiem Aristoteles? quid de ætherea ista regione et sphæra cui, clavorum instar aureorum, aut lucernarum, adfixæ gyrentur stellæ? Stellas ex quinto quodam et quasi incorporeo finxit elemento quia æternas, et incorruptas semper, et motu gaudentes circulari: quæ omnia quid prohibet quin de hacce nostra prædicemus tellure? de universa, dico, non de singulis telluris partibus (2).

10. Terram immotam indè demonstrant Peripatetici quòd si Orientem versùs illa moveretur, ad Occidentem ferri semper nubila videremus. Terram autem non eam modò vocamus cujus solidam inculcamus superficiem, sed aërem etiam huic circumfusum,

(1) C. acr. 105 seqq.
(2) De l'Inf. p. 57.

et vagantes in aëre nubes avesque. Ea omnia, si fertur tellus, communi rapiuntur impetu. Et quemadmodum in navibus, celerrimè quamvis procedentibus, prorsùm retrorsùmve nihilominùs et ambulare possunt nautæ, et tela jacere, ità nihil obstant vagantes nubium cursus quominùs gyrantem tellurem profiteamur (1).

11. Finitum denique mundum Aristoteles ingenti argumentorum copia nititur demonstrare; quæ omnia aut circulum efficiunt aut ex malè usurpatis effluunt principiis. Atque primùm corporis esse cujuscumque superficie terminari asserit: ideòque et Mundi, quippe qui corpoream obtinet naturam: — ex prava corporùm definitione pravum argumentum. Corporum enim non est terminari, sed locum sive finitum obtinere, sive infinitum. — Deindè, nisi terminos haberet mundus, nullibi eum fore dicit Aristoteles; corporis enim cujusque eamdem esse et superficiem, et locum; quod jam pridem, ubi de loco et spatio dictum est, confutavimus argumentum. — « Universum, si infinitum, circularem motum non adhiberet; » — igitur, si immotum dicere placeat, quid respondebit Aristoteles? « Ab extremis ad centrum, si esset mundus infinitus, ferri nihil valeret; » — quid autem, si sublato fine ubique centrum et extremum nihil ponamus? Si motum rectum, nisi rei cujusque partium ad rem integram, tollamus? Si regionem nec inferiorem nec superiorem, si nihil absolutè aut grave fateamur aut leve? Si hæc demùm

(1) La Cena, p. 167, seqq.

omnia ad respectum non Universi totius, sed uniuscujusque modò telluris, solisve, prædicanda videantur? Talibus igitur, multisque præterea ejusmodi, rationibus vir iste puerilem illam et nugatoriam conatus est fulcire doctrinam, quam ex oculorum priùs imbecillo acceperat testimonio (1).

12. Plures esse mundos idem negat, et quindecim nititur argumentis refellere. Quorum quidem jam omnium est facta ruina; quippe quæ istis de tempore et spatio, de motu, de sphærarum et elementorum ordine somniis cuncta stabant innixa (2).

13 De motore etiam, ne quid prætereamus, dicendum est. Quem Aristoteles fecit externum et ad mundi marginem collocatum. Sublata autem mundi sphæricitate et margine, tollitur et Deus ille externus. Ceterùm, etiamsi sphæras concedas et mundum circularem, cur a superficie, non a centro, mundus moveatur, minimè declaravit Aristoteles (3).

Hæcce de Peripateticorum Physica docet Jordanus: quam rectè ædificium vastum magis quam robustum noster prædicat. Sed de Aristotele hactenus: — quamvis innumera ferè argumenta Brunus adduxerit, ità ut nec in minimis adversarii quidquam temeriùs affirmatum prætermiserit.

Jam ipsius doctrinam oportet animadvertamus.

(1) C. acr. 58, 59. — De l'Inf. 35. 39.

(2) De l'Inf. 70—104.

(3) C. acr. 90. — La Cena, 166. 186.

CAP. VIII. QUAMNAM PHILOSOPHANDI RATIONEM BRUNUS COMMENDAVERIT, SITQUE SECUTUS.

Come chi non intende l'uno, non intende nulla, così, chi intende veramente l'uno, intende tutto; e chi più s'avvicina a l'intelligenza de l'uno, s'approssima più a l'apprension di tutto.
(De la Causa, ad calcem.)

Philosophis id est agendum ut causæ rerum primæ patefiant et principia. Quæ igitur cum multi perlustrare sint conati, ratio inquirendi non fuit omnibus eadem. Plures enim philosophantibus patent viæ: nec ulla est quæ, si rectè sequaris, a veri notitia prorsùs te avertat. Suos quisque fructus præbet quærendi modus, multumque veteres omnes, diversis quamquam rationibus usi, profecere (1).

Cum tamen principiorum disquisitio difficillima quædam habeat paucisque pervia, quam perfectissima possis methodo instructum hæc tanta oportet aggredi. Unam igitur inter omnes philosophandi viàs eam tutissimè emetieris, quæ a sensu profecta per rationem et intellectum ad mentem contemplationemque demùm

(1) Eccovi dunque, come non è sorte di filosofia, che sia stata ordinata da regolato senso, la quale non contegna in sè qualche buona proprietà, che non è contenuta da le altre...
... È cosa da ambizioso, e cervello presuntuoso, vano et invidioso, voler persuadere ad altri, che non sia che una sola via d'investigare e venire a la cognizione de la natura; et è cosa da pazzo et uomo senza discorso donarlo ad intendere a sè medesimo (De la Causa, 259—260.)

te adducat. Cum enim a Principio et Causa prima ad hæc omnia quæ cernimus particularia, rerum esse velut descensum et quamdam naturæ scalam pateat, ab iis quæ sensui objecta fluctuant omnia, quæque nascuntur intereuntque, oportet itidem scientiarum fieri ascensum ad causas primùm proximas, non jam sensui, sed rationi obvias, atque exindè ad prima demùm omnium principia, aut si valeat ingenium, ad unum potiùs et infinitum, adhibita mentis contemplatione.

Jure igitur ad id cognoscendum, quod verè est, sensûs esse parvam auctoritatem Plato docuit, cujus ex testimonio non Ens, sed entis simulacra tantummodò et umbras possimus ediscere; optimè et Pythagorici, a rerum multitudine et motu ad id contendendum, quod sit unum et immotum, omnisque numeri motusque fons et essentia.

Atque eandem, quam docet inquirendi rationem, Brunus conatur adhibere. A sensu profectus et a ratiocinando, terram moveri, mundos esse innumeros et infinitum universum primò demonstrat. Ad magis ardua deindè et abscondita progressus, principia rerum et causas omnium scrutatur; igitur a primo Efficiente sumpto initio, artificem esse quemdam internum ostendit et mundi animam, cujus munere moveantur omnia, vivantque; tum de Universi fine, et summa bonorum, sed parciùs, disserit; Formæ deinde naturam illustrans, si sit principium Forma, idem demonstrat esse necessariò, ac Efficiens Animamque mundi; de Materia similem docet in modum. Atque in unius tandem Entis contemplatione quiescit, in-

finiti, immoti semper, in quo sint omnia et moveantur, quod sit idem maximum et minimum, quodque mentis solius acies, non comprehendere et apertè tueri, sed suspicari tantummodò et ex vestigiorum similitudine valeat colligere (1).

Nec tamen, si attentiùs introspexeris, ex tam ordinato videbis artificio totum prodiisse Nolanæ philosophiæ systema. Non physicam Baconis, non Platonis logicam a rebus particularibus ad universales et ad principia agnosces progressionem : non apta inter se omnia et cohærentia : — sed immixta sæpè physicis metaphysica, metaphysicis physica; nunc ex sensu et corporum notitia ascensum, nunc descensum ab iis quæ non nisi intellectus valet accipere; non Cartesianæ methodi jejunam prudentiam, sed hypotheses et poëticam passìm temeritatem, et ubi firmiora deficiant argumenta, ex veterum etiam et theologiæ et vulgi auctoritate demonstrationem unam et alteram. Juvenilis enim agebatur etiam tum philosophiæ ætas, dùm virilem Baco et Cartesius instituerent.

CAP. IX. DE INFINITO UNIVERSO.

Venient annis,
Sæcula seris, quibus Oceanus,
Vincula rerum laxet, et ingens,
Pateat tellus, Tiphysque novos
Detegat orbes, nec sit terris
Ultima Thule.
(Seneca, Medea II, ad fin.)

» Non parvi refert, (dicit Brunus in libris de Im-

(1) Questa verità che sensibilmente vedi, e che puoi con l'altezza del tuo intelletto capire, non è la somma e prima, ma certa imagine e splendor di quella. (Spaccio, 158.)

menso et Innumerabilibus) sitne infinitum corpus, an hoc sit ex impossibilibus unum. In eo enim quòd res vel hoc vel illo modo se habeat, omnis veri cognitio consistit atque summa. » Parum latinè dictum, sed rectè satis. Quid enim? Si Aristotelis, et vulgo acceptam secutus sententiam, unam tantummodò statueris Tellurem, unum plantarum animantiumque omnium receptaculum, et cætera omnia, solem, et lunam planetasque, et stellarum cœtus omnes quasi lumina quædam, quorum beneficio vitam obtineat hujusce terræ superficies, et feliciorem, decoramque magis habeant sedem homines, si astra universa Telluri, Tellurem humano generi creatam dixeris, — nonne igitur eò te deferri necesse est, ut Dei perperam imminuas, hominum adaugeas majestatem? Tam exigui Universi causam infinitam dicere et incorpoream quo pacto licebit? nonne tu Jovem et Apollinem et cæteros Romanorum adorabis deos humana indutos et forma et indole, super nubes aut in montium cacuminibus collocatos, aulamque ibi habentes et ministros, regum instar : nec adeò mortalibus præstantes, quin eorum visere domicilia dignentur et interesse præliis, et cum iis matrimonia inire consortiaque, imò in Olympum, et divinæ majestatis societatem, hominem unum et alterum accipere? Aut, si magis ingenium valeat, nonne externum saltem illud Aristotelis numen accipies, octavæ sphæræ margini, velut nona quædam sphæra circumfusum? — Atque quantò humiliorem Deum finxeris, tantò majorem obtinebit locum hominis natura. Non jam unius, innumeras inter, stellæ gloriabimur dominatione, sed Mundi imperio universi; rerumque summam nostri

gratia fatebimur creatam, nec esse sollicitam nisi circa hominum genus divini numinis providentiam.....

Non immeritò igitur sese ipsum Jordanus ità celebrat: « Si laudetur antiquus ille Tiphys, navium artifex primus, qui cum Argonautis mare trajecit,

Audax nimiùm, qui freta primus,
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrasque suas post terga videns,
Animam levibus credidit auris;

si nunc celebretur Columbus, videaturque idem ille, de quo ità sit vaticinatus poëta :

Venient annis,
Sæcula seris, etc.,

quid ille, cujus benificio in cœlum licet adscendere, stellarum ambire globos, post calcem relinquere solidam istam firmamenti convexitatem? Viam invenerunt Tiphyes qua nationum turbarent pacem remotissimarum et patrios violarent genios; qua id confunderent quod diviserat provida natura, qua vitia jungerent vitiis, novos errores et nugas inauditas per vim ità spargerent ut potentissimus demùm quisque sapientissimus idem videretur... Nolanus autem, feliciori intentus operi, hominum liberavit animos et cogitationem, occlusam adhuc carcere angustissimo turbidi aëris, undè, velut interposita nebula, vix conspicere licebat astrorum greges. Recisæ erant ingeniis alæ, ne sursùm evecta nubilum removerent velum et id adspicientes quod verè existit suprà, eorum tandem chimæras abjicerent, qui ex multiformi men-

dacio mundum implêrunt nugis innumeris.... Ecce verò ille qui trajecit aërem et cœlum pervasit, et perlustravit astra; qui marginem transiit mundi, fecitque evanescere commentitia ista sphæræ octavæ mœnia, et nonæ, et decimæ et omnium quoteumque potuerit fingere mathematicorum vanitas et cæca philosophorum vulgarium ingenia.... (1) »

Nec id solummodò Brunus gloriatur, Universum scilicet detegisse infinitum, et mundos innumeros: sed huncce etiam nostrum, quem immotum fecerat Aristoteles, circà solem ferri mundum demonstrasse, et circà proprium centrum. Atque tam arctè inter se connnexa videmus et permixta ubique quæ de Universo infinito docuit ille et quæ de mobili tellure, ut facilè quis dubitet, a priori ne, an a posteriori sententia exordium ceperit de mundo philosophandi. Sin autem attentè inspexeris, ex priore posteriorem potiùs quam ex posteriore priorem dices effluxisse. Eum igitur et nos demonstrandi ordinem imitati, jam de Universi immensitate videamus quæ fecerit Jordanus argumenta.

Quæ quamvis multa et varia proposuerit, ex unius tamen entis notitia omnia collegit: ex infinitæ videlicet Universi Causæ.

1. Atque primùm, mundus quominùs sit infinitus nihil impedit; non enim, ut perperam Aristoteli placuit, finitum est ipsum spatium: patet in immensum æthereus campus, innumerorum, si sint, astrorum receptaculum. Nec etiam materia carere potest mundi

(1) La Cena, p. 128.

immensitas: infinitam enim et optimam rerum causam Deum necessariò existere fatemur; cui cum sit infinita agendi potestas, immensum scilicet efformandi Universum, quonam pacto materiæ penuria poterit impediri, quominùs id quod potest, omne efficiat? Qui limitem vel externam infinitæ ponit potestati, nonne idem infinitam potestatem tollit? (1). Infiniti igitur Universi nullum fingere possumus impedimentum, neque ex parte efficientis, neque ex parte spatii, neque ex parte materiæ.

2. Infinitum autem dicere mundum non modò licet, sed necesse est; quod quidem infinita primùm Dei declarat bonitas. Melius enim est esse quam non esse (2), dignius est facere quod est bonum quam non facere, ponere ens et verum infinitum meliùs est quam sinere non ens et nihil; igitur, etiamsi perfectum jure mundum finitum jactent Peripatetici, nihil istius mundi impedit bonitas, quominùs et alii quoscumque in vacuo fingere potest, isti similes, hominum intellectus, eodem pacto boni prædicentur: quin imò si bene sit aliquam partem spatii esse plenam, nonne itidem bene, ejusdem vacui partes cæteras, a prima illa nihil discrepantes, similibus sint corporibus refertæ? Si igitur mundus esset finitus, bonum Deus infinitum efficere noluisset, essetque ipse quodammodò pro finito effectu finitè bonus, pro infinita autem actus repressione infinitè malus (3).

(1) Il posser fare pone il posser esser fatto, il dimensionante pone il dimensionato... (De l'Inf. p. 30.)

(2) Nihil est absolutè imperfectum, malum; sed ad aliquid tantum; substantia absolutè bona. . (De immenso, 11.)

(3) De immenso et innumerab. 10.

3. Infinitæ etiam Causæ majestati minimè videtur consentaneum, si finitum dicemus effectum vestigiumque. Mundi margines quamlibet procul removeas, si sint margines, ad respectum infiniti velut in nihilum mundus evanescet, et non tam finitè agentem habebis Deum quam infinitè otiantem et suam ipsius potentiam impedientem. De Deo autem et natura est quam optimè sentiendum (1).

Innumera igitur multitudine rerum et varietate opus esse dicimus, ut fiat manifesta Creatoris infinita bonitas et potentia.

4. Adde quod ex divina essentia necessaria consequitur mundi immensitas. Mundi infiniti, quem nos mente concipimus, divinus etiam intellectus speciem intelligibilem necessariò amplectitur, et intelligendo efficit (2).

(1) Per che vogliamo, o possiamo pensare, che la divina efficacia sia oziosa? Per che vogliamo dire, che la divina bontà, la quale si può comunicare a le cose infinite e si può infinitamente diffondere, voglia essere scarsa et astringersi in niente? Atteso ch'ogni cosa finita al riguardo de l'infinito è niente. Per che volete, quel centro de la divinità, che può infinitamente in una spera, se così si potesse dire, infinita amplificarsi, come invidioso, rimaner più tosto sterile che farsi comunicabile, padre, fecondo, ornato e bello?... Per che deve esser frustrata la capacità infinita, defraudata la possibilità d'infiniti mondi, che possono essere, pregiudicata l'eccellenza de la divina imagine, che dovrebbe più risplendere in un specchio incontratto, e secondo il suo modo d'essere, infinito, immenso? (De l'Inf. univ. p. 24.)

(2) ... L'intelletto primo intende corpo e dimensione. Se lo intende, non meno lo intende infinito; se lo intende infinito

Digitized by Google

5. Deinde Deus est simplicissimus : finitus esse simul et infinitus nequit; cum autem sit infinitus quoad intellectum et efficiendi potestatem, infinitus etiam sit quoad actum necesse est (1).

6. Nec id denique concesserimus, Deum scilicet finem, si placuisset, dare mundo potuisse. Quidquid enim potest Deus, idem vult semper, et nolle nequit; eademque est in eo potentia, et voluntas et necessitas. Cum enim sit natura perfectissimus, non potest esse nisi bonus, aut velle nisi quod sit optimum; non igitur ea fruitur libertate, ut duas unquam inter contrarias volendi agendique fluctuet rationes (2). Quodcumque vult, suæ vult naturæ necessitate; cum autem infinitam ejus virtutem nihil extrinsecùs finiat, nec, ut rebus evenit cæteris, coactus unquam ille agat, necessitas in eo est ipsa libertas. Igitur quod est

et il corpo ò inteso infinito, necessariamente tal specie intelligibile è, e per esser prodotta da tal intelletto, qual è il divino, è realissima; e talmente reale, che ha più necessario essere, che quello, che attualmente è avanti li nostri occhi sensitivi. (De l'Inf. p. 31.)

(1) Per il che il primo principio è simplicissimo, però, se secondo uno attributo fusse finito, sarebbe finito secondo tutti gli attributi... Se dunque lui ò operatore de l'universo, certo è operatore infinito; e riguarda effetto infinito. (De l'Inf. p. 30.)

(2) Est perfectio in nobis (si placet) ut possimus multa facere quæ non facimus, blasphemia verò est Deum facere alium a Deo, voluntatem ejus aliam atque aliam : unam quæ currat cum potentia, aliam quæ a potentia abhorreat. (De immenso, etc., § II.)

optimum id necessario Deus semper fecit, facietque, et est mundus infinitus...

Liebnitzii quem vocant *determinismum* hic agnoscis; atque pro tam aliena a vulgaribus doctrinis sententia facit apologismum Brunus ne cui sublata Dei libertate et hominum videretur sublatum liberum arbitrium (1). At verò nec id facilè concesserim, in Deo pugnare perfectionem et libertatem. Nihil unquam Deus facit malum, non quia malefacere nequit, sed quia non vult, — atque ea est demum divini perfectio numinis.

Non igitur ex isto satis argumento demonstratam mundi infinitatem crediderim; nec illius, Platonici scilicet, quod ex idearum existentia deprompsit Jordanus, ausim tueri auctoritatem; — sed prioribus facilè fidem habeo; quæ quidem et Leibnitzium posteà videmus adhibuisse.

CAP. X. DE TELLURIS MULTIPLICI MOTU.

In coelo constititi sumus.....
(De immenso, § 14.)

Non igitur finibus istis, quos oculi ostendunt, conclusum circumfertur Universum; nec jam indutam sphæris tellurem—uti tunicis videmus cepas—fatebimur. In ætherei campi immensitate, in corporum multitudine infinita anne centrum quis prædicare terram ausit? Ubi centrum quidem sit ubique, et circumferentia nulla? Nonne etiam cœlum istud tollas concavum et commentitiæ quintæ essentiæ velut scintillas, lucer-

(1) De l'Inf. 26.

Digitized by Google

narum instar cæruleæ suspensas fornici? Nonne cœlum ubique dicas, et astrorum unum tellurem (1) (et ipsam in cœlo constitutam), stellasque omnes esse ingentia corpora, inter se, et a nobis immensis distantia intervallis? Quæ si sint tot atque tanta, circa unam ferri stellam omnia quonam pacto arbitrabimur? Immotum enim dicamus Universum necesse est, quia infinitum; terramque moveri et speciem ità motùs cœlestis efficere. Quæ quidem et veteribus multis et quibusdam recentioribus philosophis placuit sententia (2), postremùm autem Copernico, qui in scholasticorum sophismatum caligine quasi auroram fecit veritatis, dùm solis ipsius splendor diuturnas diverberaret tenebras, et ad antiquæ lucem sapientiæ hominum ingenia revocaret... Auroram dico veritatis, non veritatem ipsam: cum enim mathematicorum quam naturæ studiosior fuerit Germanus ille, potuit nec adversariorum radicitùs evertere vana principia et argumenta, nec suam ipsius sententiam rationum evidentia confirmare, nec a novis quæ placuerant, principiis novam promere de rerum natura doctrinam. Quin imò, et finitum habuit sphæricumque Universum, et de mobili tellure tam pavidè docuit ut veniam rogaret, si cui inaudita displiceret

(1) Noi, alzandoci da la terra e perdendo la vista de l'orizonte, di cui il diametro sempre più si va attenuando, vedremo questo corpo essere una stella. (Cena, 162.)

(2) Repperi apud Ciceronem, Nicetam sensisse terram moveri, et apud Plutarchum, Ecphantum, Heraclidem, Pythagoricos, Timæum: undè occasionem nactus, cœpi et ego de mobilitate terræ cogitare... (De immenso, etc., 16.)

sententia, non affirmandi, sed ponendi hypothesin, cujus auxilio computationes faciliùs efficeret (1).

Quid autem? etiamsi illud prætereamus argumentum quod ex Mundi immensitate desumptum nuperrimè proposuimus; etiamsi finitum dicamus numerum astrorum, nonne fateamur necesse est, huncce potiùs terræ globum circa solem, quam circa terram tot tantosque volvi globos? (2).

Atque tantum abest ut stet immota tellus, ut multiplici motu deferatur. Circa solem enim devecta annorum concludit spatium, circa proprium centrum, dierum noctiumque vices. Aliis etiam duobus, de quibus nec Copernicus nec quisquam alius docuit motûs circumfertur generibus. Quorum priore, quod quadraginta et novem millium annorum spatio efficitur, hemisphærium superius eandem paulatìm ad astra obtinet relationem quam inferius habuerat, atque ad pristinum deinde statum reducitur. Quo quidem motu illius efficitur motûs species tardissimi quo circa polum ferri

(1) La Cena, p. 127, 152, 163.

(2) Non è ragione alcuna, che senza un certo fine et occasione urgente gli astri innumerabili, che son tanti mondi, anco maggiori, che questo, abbino sì violenta relazione a questo unico. Non è ragione che ne faççia dir più tosto trepidar il polo, nutar l'asse del mondo, cespitar li cardini de l'universo, e sì innumerabili, più grandi, e più magnifici globi, ch'esser possono, scuotersi, svoltarsi, ritorcersi, rappezzarsi, et al dispetto de la natura squartarsi in tanto, che la terra così malamente, come possono dimostrare i sottili ottici e geometri, venghi ad ottener il mezzo... (Cena, 195.)

retrorsùm zodiaci signa dicuntur cujusque principium ad nonam quamdam referunt sphæram astrologi. Quarto denique motûs genere ità deflectitur sensìm telluris axis, ut circulo tandem completo, in pristinum denuò locum restituatur. Hic vero motus trepidationis istius efficit speciem, processûs istius et recessûs, quem docent fieri ab octava sphæra secundùm circulos duos nonæ concavitati inscriptos... (1)

Cum autem quatuor sint motûs genera terrestris, in unum nihilominùs omnia concurrunt velut compositum. — Nec id prætereundum, ubi de circulis et motu circulari doceamus, nec diurnum telluris motum, nec annuum, nec hemisphæricum, nec polarem sive coluralem, circuli formam accuratè imitari (2).

In hemisphærico, quem vocat Brunus, motu, *æquinoctii* quam nostrates nuncupant *præcessionem*, in polari *axis terrestris nutationem* agnoscis, sed deformatas utrasque et a rei veritate longè abalienatas. Quonam autem pacto tam temerarias fingere hypotheses illi placuerit, infrà dicemus.

CAP. XI. DE INFINITI UNIVERSI PARTIBUS, ET ARCHITECTURA, ET MOTU.

..... Necesse est confiteare,
Esse alios aliis terrarum in partibus orbes,
Et varias hominum gentes, et sæcla ferarum.
(Lucret. II, 1074.)

Circa solem igitur et circa proprium centrum motu

(1) La Cena, p. 195, 198.
(2) Cena, p. 197.

vario tellus hæcce vehitur, astrorum unum, nulli infixum sphæræ, sed in campo æthereo constitutum et vi quadam insita statum proprium servans et viam, cæterorumque astrorum instar fulgens. Tellurem autem unam tantummodò dicere quis audeat, cum tot videamus planetas ejusdem circa solem motûs esse participes? nonne ideò telluri nostræ et Lunam et Venerem et Saturnum cæterasque omnes esse similes arbitrabimur? Quod quidem et Lunæ planè designat superficies ubi terrarum umbras et aquarum fulgorem facilè conspicimus. Sol igitur ille noster, et tellures quascumque per ætheris vacua videmus circumvehi, mundorum unam velut synodum efficiunt.

Quid verò? in Universi immota immensitate, in Aethere infinito unumne tantum solem, unum mundorum fateamur cœtum? Astra quin imò habemus innumera in immenso posita, non vacuo, sed æthere. Quorum ea quæ ignita per se fulgent, *soles* jure vocabimus, et *terras* quæcumque, aquosa magis et frigida, a solibus lucem et calorem accipiunt.

Solem stellarum quamque fixarum decet nuncupari; quæ, ingentibus et a nobis et inter se sejuncta intervallis, minorem minoremque oculis speciem ostendunt, et revera innumeræ, propter sensûs infirmitatem paucæ videntur. Soli cuique, sicut huicce nostro, tellures nonnullæ sunt additæ quæ ex eo vitam cum luce et calore mutuentur, et quarum ille beneficio humidum frigus vicissim et nutrimentum accipiat: duo enim sunt opposita vitæ principia, calidum, atque frigidum, atque alterum alterius esse temperamentum Natura de-

crevit, ità ut nec absque aquosis ignita, nec aquosa remotis ignitis corpora durare valeant et vivere (1).

Infinitam igitur solium, infinitam terrarum dicere multitudinem necesse est.

Cum autem iisdem, ac nostra est, tellures omnes sint conflatæ elementis, et simili omnes motu circa suos ferantur soles, nonne et ibi plantarum et animantium genera nasci arbitrabimur, et vivere? Non immeritò ità cecinit poeta :

« Nunc et seminibus si tanta est copia, quantam
Enumerare ætas animantum non queat omnis,
Visque eadem et natura manet, quæ semina rerum
Conjicere in loca quæque queat, simili ratione
Atque huc sunt conjecta : necesse'st confiteare,
Esse alios aliis terrarum in partibus orbes,
Et varias hominum gentes, et sæcla ferarum.

Atque ipsos etiam soles, ex quorum ardore materna terrarum viscera fœcundantur, animantibus gaudere incolis necesse est, ni placeat vita destituere omninò, vacuasque et steriles dicere massas tot et tanta cor-

(1) Avete più volte udito, che quelli son per sè lucidi e caldi, ne la composizion de'quali predomina il foco; gli altri risplendono per altrui participazione, che son per sè freddi et oscuri, ne la composizion de'quali l'acqua predomina, da la qual diversità e contrarietà dipende l'ordine, la simmetria, la complessione, la pace, la concordia, la composizione, la vita. Di sorte che li mondi son composti di contrarj; e gli uni contrarj, come le terre, acque, vivono per gli altri contrarj, come li soli, fochi. Il che, credo, intese chi disse, il tutto essere consistente per lite di concordi et amor di litiganti. (De l'Inf. 69.)

pora. Non enim jam ex quinta quadam conflatos essentia soles quisquam ausit fateri : quin imò solidam durissimamque oportet credere solium massam, et petrarum aut metallorum obtinentem naturam ; quod quidem rectè satis colligit Cusanus in libris de Docta Ignorantia : « Ex obscuritate et colore nigro ne quis vilem æstimet telluris massam, et plus quam astrorum cæterorum ignobilem ; etenim si solis essemus incolæ, non eam videremus, quam nunc, lucem circumferentiæ superfusam. Ceterùm ubi oculorum illùc aciem intendimus, in medio cernimus sole velut tellurem, aqueum videlicet et nebulosum corpus, quod quasi ex circulo circumferentiali lucem diffundit. Sol igitur, non aliter ac tellus, ex pluribus est conflatus elementis ».....

Adde quod ex elementis iisdem et soles constant et tellures ; eadem enim est rerum omnium materia prima (1).

Cum autem solium superficies ignita nimio uratur calore, animantia illìc ex obstantium terrarum frigore, ut hìc ex radiis solaribus, vivunt durantque.

Omnia quæcumque sunt in Universo infinito finita corpora, moventur ; ipsique soles circumeunt. Stellarum enim inter se distantias minui satis constat, et sol hicce noster necessariò duodecim mensium spatio motum complet eum qui est in circulo medio inter circulos planetarum, cujus circuli diameter duorum tropicorum punctis terminatur, dùm Tellus

(1) De l'Inf., p. 54.

æquabiliter absque Copernicana illa inclinatione motu diurno et annuo movetur (1).

Circulum tamen geometricum, et motum circularem in rerum natura omninò nusquam reperias. Materiæ obstat inconstantia, magis etiam lex ea infinitæ varietatis, qua bis in idem reverti corpora prohibentur, nec id conceditur, ut corpora duo aut corporis ejusdem duæ partes omninò sint similes (2).

Astra integra circulari semper, nunquam recto feruntur motu; quem enim rectum vocamus, ascensus et descensus partium est tantummodò, quæ, velut fit in corpore nostro, necessitate quadam coactæ naturali, rerum formas et ordinem renovant. Descendere eas etiam dicimus partes quæ propriæ salutis appetitu propulsæ ad congeneum corpus sese, et centrum, recipiunt (3).

Non igitur est ad respectum Universi totius *sursùm* aut *deorsùm*, grave aut leve quidquam, et vanus est commentitiusque Peripateticus iste elementorum ordo. Quem, quamvis jactatum tamdiù, prorsùs tamen absurdum dicere quis dubitet, cum permixta ut in hominum corporibus ità in astrorum mole elementa videamus omnia, infusum per telluris speluncas aërem, atque ità insitas corporum partibus intimis aquas, ut

(1) De immenso et innum. Cap 5.

(2) De tripl. min. et mens. II, 3, 4. (Leibnitzii legem indiscernibilium agnoscis.)

(3) Moto retto non è proprio nè naturale a corpo alcuno principale; per che non si vede se non ne le parti, che sono quasi escrementi, che hanno efflusso da corpi mondani, o pur hanno influsso a le congenee spere e continenti. (De l'Inf. 59.)

sublatis illis in pulverem statim vel durissima diffunderentur (1).

CAP. XII. DE SUMMO EFFICIENTE ET MOVENTE ET DE MOTORIBUS CÆTERIS.

Principio cœlum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra,
Spiritus intùs alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet...

(Aen. VI, 724.)

Jam ultrà progrediamur, et cum compertum habeamus quanta sit Universi magnitudo, quibus constet ex partibus, et quonam modo pars quæque moveatur, ex rerum motu Motorem, movendique conemur rationem agnoscere.

« Democritus Epicurusque, (dicit noster) qui, nisi corporeum, nihil esse prædicant, solam igitur Materiam esse substantiam rerum volunt; Materiam esse rerum naturam et Deum Arabs etiam docuit quidam, Avicebron, in libro *de Fonte Vitæ*. Quorum et ego in sententia diù hæsi. —Postquam autem maturiùs consideratam habui, duas in rerum natura agnovi substantias, alteram, quæ est forma rerum, alteram quæ materia : potentiam nempè activam, sive actum substantialem, penes quem vis est omnia efficiendi, et potentiam passivam subjectumque, quod potest fieri omnia... » (2)

Est igitur Causa quædam efficiens. qua operante

(1) De l'Inf., p. 61—63.

(2) De la Causa, p. 251.

informatur materia moveturque. At verò primum hunc Motorem ubinam loci constituemus? Num extrà mundi marginem, quam esse nullam jamdiù nobis compertum est? An sedem habebit in vacuo æthere et corporum intervallis,—extrinsecùs, figulorum instar, rerum formas immutans, et violento et operoso, non naturali, pellens trahensque motu quæcumque moventur? (1) Imò verò universi partes penetrat omnes, et incolit, et intùs format. Motorem et exagitatorem mundi Pythagoras, fabrum Plato, seminatorem Magi, distinctorem Empedocles, appellavere. Nos *artificem* vocamus *internum*, qui ab intimis rerum incipiens seminibus, indè membrorum et partium explicat figuras et illùc denuò revocat, quandò rerum placuerit renovare formas. Quod si non sine intellectu auxiliante exsculptæ ab hominibus in saxorum superficie imagines videntur, quid de artifice dicamus illo, qui non mortuas sed vivas, non unam sed innumeras effingit continuò rerum figuras? Nonne Intellectum infinitum et Mentem prædicemus divinam? quod et Pythagoricus ille cecinit poëta:

...Totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Mentem autem eam, quæ non suprà res, non extrà existat, sed in rebus omnibus sit intima et præsentissima, sicut in entibus entitas, in naturalibus natura,

(1) Il naturale, o voglia o no, è principio intrinseco, il quale da per sè porta le cose, dove conviene. Altrimenti l'estrinseco motore non muoverà senza fatica. (Cena, p. 187.)

bonitas in iis quæ bona sunt, — eam, dico, nonne *Mundi animam* vocabimus?

Animantis igitur Universum nomine meritò decorabitur (1).

Ità res omnes, quascumque cernimus vel humillimas, vitæ et animæ sunt participes. Quraum partem *animatas* tantummodò (lapides scilicet et ejusmodi cætera) dicimus, pars *animalium* ostendunt naturam : non enim actu vivunt omnia, sed vivendi saltem omnia potentiam continent, qua possint ad animalium dignitatem emergere, si faveat tempus et materiam inveniant propitiam... (2)

Vita autem prædita esse universa quæcumque vel mortis ostendunt speciem, et ratio declarat, et sensus. Cum enim incorpoeram fateamur et individuam mundi animam, totam in Universo, et totam in quacumque etiam Universi particula inesse fatebimur. Ce-

(1) Questo infinito et immenso è uno animale, ben che non abbia determinata figura e senso che si riferisca a cose esteriori : per che lui ha tutta l'anima in sè, e tutto l'animato comprende, et è tutto quello. (De l'Inf., p. 49.)

(2) Sia pur cosa quanto picciola e minima si voglia, ha in sè parte di sustanza spirituale, la quale, se trova il soggetto disposto, si stende ad esser pianta, ad esser animale, et riceve membri di qualsivoglia corpo che comunemente si dice animato ; per che spirto si trova in tutte le cose e non è minimo corpusculo, che non contegna cotal porzione in sè, che non inanimi...

Concedo che tutte le cose hanno in sè anima, hanno vita, secondo la sustanza, e non secondo l'atto et operazione... (La Causa, 241.)

terùm ex plantarum et animantium mortuis, quæque dissolvuntur, corporibus, nonne innumera nasci animalia videmus, et plantas? ità ut rectè consideranti fiat verisimile, et in nobis et in rebus universis quæcumque sunt composita, animantium ingentem vivere multitudinem? (1) Quod idem, — vita scilicet gaudere corpora omnia, — et lapides demonstrant siccæque stirpes quibus auxiliis magi medicique hominum ingenia immutant; (2) demonstrant etiam corporum partes quæ ad corpora integra naturali quodam desiderio feruntur.

Atque animalia etiam plura quam vulgò esse perhibentur, dicere necesse est. Cum enim plantis et bestiis singulis singulæ ideò tribuantur animæ, quòd virtute quadam interna harum omnium partes disponi videmus et proprio ferri motu, nonne et terram vivere fatebimur et esse ex animantibus unum? Quæ non ab externo appulsu sed ab interno motore motum accipit, quæ tot ex fœcundissimo gremio et vitæ thesauro animantia fundit continuò, quæ partibus iis ex quibus animalium videmus conflata corpora non tam absimiles ostendit partes, et simillimum movendi ordinem? (3)

(1) La Cena, 167.

(2) De la Causa, p. 241.

(3) Non altrimenti che ne gli animali, quali noi conoscemo per animali, le loro parti sono in continua alterazione e moto, et hanno un certo flusso e riflusso, dentro accogliendo sempre qualche cosa da l'estrinseco, e mandando fuori qualche cosa da l'intrinseco: onde s'allungano l'unghie, si nutriscono i pili, le lane, et i capelli, si risaldano le pelli, s'induris-

Atque quod de hacce nostra tellure, de cæteris identidem tum terris, tum solibus decet affirmare.

Quod si animalibus iis quæ cernimus, sphærarum forma nimiùm videatur dissimilis, nil mirum sanè, quippe in vacuo æthere facillimè sphæræ gyrantes membris iis neutiquam indigent, quibus ea, quæ in spisso sese movent aëre.

Jam si animalia dicimus astra, nec sensu carent eadem, nec vi intellectùs; imò pro corporum magnificentia majori quam homines, mente sunt insignia, Diique jure vocantur. Deorum igitur, ut quondam et Plotino placuit, est infinita multitudo, qui Deo uni optimo maximo ministrant (1).

Non igitur, uti sensit Aristoteles, corporum quædam perfectio sunt animæ: non ex partium concordia nascuntur, earumdem discordia periturae, sed sunt per se et durant. Atque tantum abest ut corporum sint entelechiæ, ut corporea ipsæ sibi efforment indumenta et vicissim dissolvant (2). Nec id prætereundum,

cono i cuoi; così la terra riceve l'efflusso et 'influsso de le parti, per quali molti animali, a noi manifesti per tali, ne fan vedere espressamente la lor vita (Cena, 166.)

(1) Si muovono, vivono e puonono in atto gli atti de le lor vicissitudini, producono, pascono, ripascono e manteguono li lor abitatori et animali; e con certe disposizioni et ordini amministrano a la natura superiore, cangiando il volto d'un ente in innumerabili soggetti. (De l'Inf., 66.)

(2) È una cosa, un principio efficiente et informativo da dentro, dal quale, e circa il quale si fa la composizione, et è a punto come il nocchiero ne la nave, il padre di famiglia in casa, et un artefice non esterno, ma che da entro fabrica,

multa et varia eamdem posse sibì corpora circumdare animam, humana nimirum, et bovina, serpentium etiam et formicarum, et plantarum; animarum enim omnium eadem est essentia specifica et generica (1).

Sicut enim omnes aqueæ partes unam efficiunt aquam, unum aërem, quoad substantiam, partes aëreæ omnes, — ità animarum omnium est fons unus, unus Oceanus, quò revertentur omnes (2).

Sit igitur quantumlibet ingens particularium numerus intellectuum, ad unum omnes infinitum, ad unam omnes incorpoream referri essentiam necesse est, quæ tota sit in Universo toto, et tota etiam in quolibet totius parte. Anima enim mundi, quidquid agit, tota agit, et tota est ubique præsens; sed pro partis cujusque et loci promptitudine non omnimodò ubique movet, sicut spiritus idem non ex omni fistula eumdem emittit sonum (3).

Itaque, quidquid nascitur, aut movetur, aut dissolvitur, unius optimi Efficientis actum significat. Quid-

contempera e conserva l'edificio, et in esso è l'efficacia di tener unite le discordanti qualità, a far e mantener la composizione d'un animale. Esso intorce il subbio, ordisce la tela, intesse le fila, modera le tempre, pone gli ordini, digerisce o distribuisce li spiriti, infibra le carni, stende le cartilagini, salda le ossa, ramifica i nervi, incava le arterie, etc. (De l'Inf., 112.)

(1) Quella de l'uomo è medesima in essenza specifica e generica con quella de le mosche, ostreche marine e piante, e di qualsivoglia cosa, che si trove animata, o abbia anima. (Cabala del Cavallo, etc., p. 277.)

(2) Cabala, 276.

(3) De immenso, ad fin.

quid est, divinum est. Summum igitur numen et providentiam licet vel in minimis agnoscere; Deo enim nihil humile est, nihil sordidum. Atque uti sunt ab optimo hæc omnia condita artifice, ità sunt optima omnia, si quis non præsentem tantummodò ætatem sed æternam, non hujusce telluris, sed rerum omnium formas et vicissitudines, non se, sed mundum respiciat (1).

CAP. XIII. DE RERUM FINE.

Non sta, si svolge e gira
Quanto nei ciel e sotto il ciel si mira;
Ogni cosa discorre or alto, or basso,
Ben che sie in lungo o in breve,
O sia grave, o sia leve;
E forse tutto va ai medesmo passo,
Et ai medesmo punto;
Tanto il tutto discorre sin ch'è giunto.
Tanto gira sozzopra l'acqua il buglio,
Ch'una medesma parte
Or di sù in giù, or di giù in sù si parte,
E il medesmo garbuglio
Medesme tutte sorti a tutti imparte.
(De l'Inf., p. 51)

Igitur « *nihil est absolutè imperfectum aut malum, sed ad aliquid tantùm: substantia est absolutè bona.* » Es-

(1) E perche tutti sottogiacemo ad un ottimo Efficiente, non doviamo credere, stimare e sperare altro, eccetto che, come tutto è da buono, così tutto è buono, per buono et a buono, da bene, per bene, a bene: del che non appare se non a chi apprende altro che l'esser presente; come la beltade d'un edificio non è manifesto a chi scorge una minima parte di quello, come un sasso, un cemente affisso, un mezzo parete, ma massimamente a colui, che può vedere l'intiero. (De l'Inf. procem.)

sendi finem existentiam ipsam, vivendi, vitam proposuit optimus Intellectus, summamque bonorum rebus universis eam fore decrevit, ut quam maximè viverent, et moverentur, et immutarentur, et infinitam Efficientis potestatem infinita formarum varietas et series continua patefaceret (1). In eo igitur jacet Universi perfecta bonitas, quòd in diversis materiæ partibus formæ existunt omnes, et omnes, procedentibus sæculis, actu in singulis apparebunt corporibus; et « *manet omnem substantiam pro duratione æternitas, pro loco immensitas, pro actu omniformitas.* »

Quod si quis dubitet, meminerit ille, bonitatem rerum omnem, et pulchritudinem, animantium etiam delectationem, ex mutatione fluere et varietate quadam et vicissitudine perpetua. Absque enim varietate ordo jam nullus, absque mutatione nulla rerum vita et animarum nulla esset voluptas (2).

Diis et ipsis, quos vulgus adorat, fato constitutum est ut mutentur, et Jupiter ille quem alio decoratum nomine et nostri colunt, non semper manebit; aut potiùs alias aliasque induet formas: nihil enim omninò evanescit interitque (3).

Homines et bestiæ plantæque fatum idem minoribus

(1) Il scopo e la causa finale, la qual si propone l'Efficiente, è la perfezion de l'Universo, la quale è, che in diverse parti de la materia tutte le forme abbiano attual esistenzà : nel qual fine tanto si diletta e si compiace l'Intelletto, che mai si stanca suscitando tutte sorte di forme da la materia. (De la Causa, p. 237.)

(2) Spaccio, etc., initio.

(3) Spaccio, Epist. explic.

subeunt intervallis, similisque et astra urget necessitas. Continuo enim hæc omnia effluxu partium et influxu materiam paulatim et formas mutare coguntur (1). Tellus idcircò nostra non modò diurno circà proprium centrum, et circà solem annuo circumvehitur motu, ut dies noctesque et anni tempestates ordine succedant; sed axem etiam rotationis sensim, et circulum æquinoctialem ità immutat, ut quà fuerit Oceanus ibi terræ emergant, rigeantque gelu quas olim nimii solis ignes torruerint (2).

Attamen, postquam rerum vices circulum quemdam complerint, easdem iterùm omnia formas resumunt, annique alius instaurant exordium. Atque sunt sui non terræ solummodò sed etiam generi humano anni (3).

(1) Accade che non è parte nel centro e mezzo de la stella, che non si faccia ne la circonfereuza e fuor di quella : non è porzione in quella estima, che non debba tal volta farsi interna. (De l'Inf., 191.)

(2) La terra si muove circa il proprio centro, per participar la luce e tenebre, giorno e notte, caldo e freddo ; circa il sole, per la participazione de la primavera, estade, autunno, inverno ; verso i chiamati poli et oppositi punti emisperici, per la rinovazione di secoli e cangiamento del suo volto ; a afin che, dove era il mare, sii l'arido, ove era torrido, sii freddo, ove il tropico, sii l'equinoziale... (De l'Inf., 178.)

(3) La rivoluzion dunque et anno grande del mondo è quel spazio di tempo, in cui da abiti et effetti diversissimi per gli oppositi mezzi e contrarj si ritorna al medesimo... Però ora che siamo stati ne la feccia de le scienze, che hanno parturita la feccia de le opinioni, le quali son causa de la feccia de li costumi et opre, possiamo certo aspettare di ritornare a miglior stati. (Gli Er. fur. Pars. 2, dial. 1.)

CAP. XIV. DE CAUSA FORMALI.

Natura est Deus in rebus.
(Spaccio, etc., 225.)

Unum diximus rerum omnium esse efficientem, unam Universi vitam, Animam unam, quæ tota insit et agat in qualibet parte, ità ut ex quacumque re possit rex quæcumque prodire, et jure omnia esse in omnibus senserit Anaxogoras. Mundi autem animam eamdem esse Intellectum universalem rectè consideranti cuilibet patuit.

Jam ad principium formale transeundum. Formam Aristoteles actum quemdam esse voluit et in ente unoquoque naturam, ex singulorum entium qualitatibus manifestam; principium Universi formale, formarum particularium summam. Quid verò? principii nomine eam insignire formam quonam pacto liceat, quam videlicet fluctuare, et nasci et corrumpi in materiæ velut dorso videmus, quæque non ens, sed entium, non substantia, sed substantiarum est quoddam accidens? Anne Peripateticorum istam e. gr. *humanitatem* in principiorum numero ponamus quæ per se nulla, partium materialium concursu efficitur et annihilatur divortio? Formam, si placeat, materialem dicemus, et accidens, non principium. Principii enim est existere per se et durare semper, rerumque verè Formam et Naturam aut nullam decet aut æternam et simplicem et immutabilem et discretam a materia profiteri.

Igitur eadem sit Forma et efficiens necesse est. Etenim si spiritus quidam et vita substantialis penetret corpora omnia et variis rationibus universam impleat

materiam, ea demùm est Mundi verè forma, et actus, et Natura.

Quæ, quamquam est una simplexque, pro materiæ tamen varietate et multitudine innumeras evolvit et varias rerum species; a materia enim definitur, uti materiam ipsa definit. Quo fit ut nunc absque sensu vitam, nunc intellectu et mente præditam efficiat Mundi Anima. Atque, cum non a corporibus, ut placuit Peripateticis, animæ pendeant nec sunt materiæ quædam entelechia sed ipsius Dei actus et modus essendi,

> Morte carent animæ, semperque priore relicta
> Sede, novis habitant domibus vivuntque receptæ.
> Omnia mutantur, nihil interit... (1)

Quod si id dubites, quomodò ens unum et idem rerum sit causa efficiens simul et forma, extrinsecùsque simul existat et intrinsecùs, animam in corpore quasi nautam esse in nave memento : quem dùm navis continet et aufert, hujusce quasi partem dicis; ubi verò clavam ille tenet regitque, causam efficientem et a navi discretam prædicas. Haud aliter Mundi Anima, quatenus animat informatque, pars est rerum intima et formalis, quatenus gubernat omnia, eamdem non partem, non principium, sed causam decet nuncupari.

Quod quidem exindè etiam licet colligere, quòd Animæ illius æternæ præcipua sit virtus Intellectus. Omnia enim Intellectus ille implet et illuminat, regitque naturam, formas è gremio materiæ particulares

(1) Ovid. Metam. lib. 15.

educentem : imò verò est Natura ipsa genitrix; qui rerum naturalium formas eodem procreat modo, quo intellectus noster humanus formarum intùs imagines fingit intentionesque : itaque intelligendo efficit, et formarum est idem et fons et substantia. Platonicis idèo verbis usus, eumdem rationem rerum dixeris et idealem, quatenus formarum cogitat exemplaria, et realem, propterea quòd intellectùs divini cogitata non ut hominum intentiones sed sunt rerum ipsa existentia et actus; ità ut logicorum arte magis quam rei veritate differant inter se Intellectus et Causa efficiens.

Animam igitur mundi, et infinitum Intellectum iterum Universi fatemur actum et formam. Nec totius tantummodò et integri Universi Deus, sed singulorum etiam corporum singulæ velut actus animæ meritò habentur; non enim intellectum corpus, sed corporis figuram intellectus efficit intùs agens :

Ergo animus circum minima adglomerando tomorum
Corpora, se velut involvit cæco ordine in illis...(1).

Quonam autem pacto Forma illa Universi ubique tota adesse valeat, non nisi ex vocis quadam similitudine potest explanari. Vocem enim unam eamdem multi totam accipiunt.

Est igitur Universi causa quædam efficiens, infinita, ubique præsens et agens ubique, vel in minimis. Naturam vocamus, quæ non violento et externo appulsu materiam moveat, sed naturali illo qui ex materiæ intimis formam educit. Natura igitur est Deus in re-

(1) De triplici minimo et mensura, lib. 1.

bus; Causamque formalem non actum materiæ ipsius et accidens quoddam, sed Ens, sed Animam Intellectumque, principii materialis socium et incolam æternum oportet prædicare — (1).

De Formæ autem et Materiæ societate ampliùs infrà disseretur; nunc ipsius Materiæ pertractemus essentiam.

CAP. XV. DE MATERIA RERUM OMNIUM UNA.

Non è possibile che il principio attivo sempre possa far il tutto, senza che sempre sia, chi può essere fatto il tutto.

(De la Causa, p. 251.)

Præter materiam, Universi nullum (ut suprà dictum est) esse principium et causam Brunus credidisse quondam profitetur: posteà principium duplex, materiam nempè et formam; propterea quòd nec materiæ quoddam efficiens, nec efficienti materiam deesse oporteat.

Est autem materia subjectum quoddam formarum et receptaculum. Quod quidem quid sit per se, oculis est absconditum, solique intellectui licet accipere. Quapropter philosophi omnes, quotcumque materiam voluerunt a forma secernere, similitudinem artis adhibuere. Faber e. g. lignarius quascumque informat rerum species, è ligno educit quasi subjecto, è ferro ferrarius, alii alio ex materiæ genere. Quæ videlicet artes in propria cuique materia varias efficiunt formas,

(1) De forma vide: de la Causa, p. 235, 246.

et ordines quorum nihil proprium est materiæ aut naturale. Natura itidem, cui similem artem fatemur, necesse est, ubi operatur, materiam aliquam habeat operis; quippe causa agens, nisi sit ex quo efficiat, nihil unquam poterit efficere.

Est igitur subjectum aliquid ex quo et in quo Natura suos elaborat actus. Atque sicut ligni per se nulla est propria forma, sed sunt innumeræ, si artifici placuerit, ità nullam ex se materia illa naturalis formam ostendit, omnimodas verò Intellectu adhibet operante. — Atque id interest inter artis materiem et naturæ, quòd prior jam forma prædita naturali varia sit et differens a se ipsa (quippe ars non nisi in formatis a natura corporibus et in rerum superficie valet operari) : natura autem quasi a centro facit operis exordium, et materia omninò informi et indifferente, (omnis enim diversitas est formarum, non materiæ), et semper et ubique eadem : quippe ex semine herbam, ex herba spicam, indè panem, et chylum et sanguinem, et hominem, tum cineres et terram, saxumque fieri videmus, et mutatæ toties figuræ materiam unam subesse.

Materiam igitur unam corporum omnium dico, et quamdam substantiam quæ possit omnia fieri sitque formarum ex Efficientis fonte receptaculum. Quam esse æternam quum fateamur, et incorruptam, inque se ipsa velut potentia formas continentem universas, nonne magis veram, et entis nomine digniorem censebis, quam formarum istam multitudinem et accidentium, quod principium formale fecerunt Peripatetici? Nonne di-

vinam jure vocabis et optimam parentem et naturæ velut substantiam? (1).

Jam cum materiam rei eam dixerimus quæ sublata subsistat forma, non in iis solummodò rebus quas oculis videmus objectas, sed in animabus inque ipsa Mundi Anima materiam licet ab actu quamdam secernere : atque ità consideranti nihil erit usquam quod materia careat.

Atque sicuti corporum omnium est materia una, ità et animarum, atque inter hominis animam et muscæ, ex corpore elapsam utramque, nihil ultrà interest. (2).

Rerum denique corporearum et incorporearum est materia eadem, unumque subjecti genus utrasque am-

(1) La materia non è quel *propè nihil*, quella potenza pura, nuda, senza atto, senza virtù e perfezione. La dico privata de le forme e senza quelle, non come il ghiaccio è senza calore, il profondo è privato di luce, ma come la pregnante è senza la sua prole, la quale la manda e riscuote da sè.. (Causa, 274.)

(2) Io privo de l'ergastulo corporeo dovenni vagante spirto senza membra, e venni a considerare, come io secondo la spiritual sustanza non ero differente in geno nè in specie da tutti gli altri spiriti, che da la dissoluzione d'altri animali e composti corpi transmigravano; e viddi, come la Parca non solamente nel geno de la materia corporale fa indifferente il corpo de l'uomo da quel de l'asino, et il corpo de gli animali dal corpo di cose stimate senz'anima, ma ancora nel geno de la materia spirituale fa rimaner indifferente l'anima asinina da l'umana, e l'anima che constituisce li detti animali, da quella che si trova in tutte le cose : come tutti gli umori sono un umore in sustanza, tutte le parti aeree son un aere in sustanza, tutti li spiriti sono da l'Amfitrite d'un spirito, et a quello ritornan tutti. (Cabala, 275.)

plectitur. Priùsquam enim formam induerit, non corpus est materia, non anima, quippe a forma, non a materia, rerum differentiæ pendent; quid mirum igitur si animarum naturam a corporea non tam alienam, idemque materiæ genus et sensibili mundo et intelligibili dicamus sufficere? Ceterùm, si rerum sit scala quædam et ordo, quo a Mundi Anima fiat descensus paulatìm ad ultima humillimaque corpora, oportet ut sit antecedentium cum iis quæ consequuntur participatus: animarum scilicet et corporum materia communis. Adde quod certa sunt generum nomina, entis, et uni, et rei, quæ universalem et unam quamdam entium substantiam indicant. — Est igitur utriusque generis, intelligibilium nempè et sensibilium rerum una eadem materia potentiaque, quæ, accedente forma, nunc in corporis, nunc in animæ naturam contrahitur, nunc extensa et ex partibus concreta sensum tangit, nunc dimensionum numerique expers ab intellectu tantummodò perspicitur (1).

Ubi verò dimensionum expertem dixerimus materiam

(1) Sia quanto si voglia diversità secondo la ragion propria, per la quale l'una discende a l'esser corporale, e l'altra no, l'una riceve qualità sensibili, e l'altra no, e non par che possa essere ragione comune a quella materia, a cui ripugna la quantità et essere soggetto de le qualitadi che hanno l'essere ne le dimensioni, e la natura a cui non ripugna l'una nè l'altra, — anzi l'una e l'altra è una medesima, e che, come è più volte detto, tutta la differenza dipende da la contrazione a l'essere corporea: come ne l'essere animale ogni sensitivo è uno, ma contraendo quel geno a certe specie, ripugna a l'uomo l'esser leone, et a questo animale d'esser quell'altro... (Causa, 272.)

illam absolutam, nonne simplicem etiam, et impertibilem fatebimur, et omnium unam ratione numeri, uti unam esse quoad naturam videmus?

CAP. XVI. DE UNO.

> Causa, Principio et Uno sempiterno,
> Onde l'esser, la vita, il moto pende,
> E a lungo, a largo, o profundo si stende
> Quanto si dico in ciel, terra et inferno!
> Con senso, con ragion, con mente scerno,
> Ch'atto, misura e conto non comprende
> Quel vigor, mole e numero, che tende
> Oltr'ogn'inferior, mezzo, e superno.
> Cieco error, tempo avaro, ria fortuna,
> Sorda invidia, vil rabbia, iniquo zelo,
> Crudo cor, empio ingegno, strano ardire
> Non bastaranno a farmi l'aria bruna,
> Non mi porran'avanti gli occhi il velo,
> Non faran mai, ch'il mio bel sol non mire,
>
> (De la Causa, proem.)

Una igitur est Universi forma quam eamdem Mundi animam diximus esse et Intellectum primum; unum etiam subjectum et materia. Jam id superest a rerum quæ sunt oculis objectæ, diversitate et numero ad Universi principium perfectissimum adscendentibus: ut nimirùm Causæ geminæ radix una et substantia eluceat.

Materia non subjecti tantummodò, sed *potentiæ* passivæ, jure nomen obtinet, *actus* meritò vocatur forma; et in ente unoquoque eum in modum conveniunt inter se forma et materia, quo id quod *est*, idque quod *esse potest*. Atque rerum omnium quæcumque cernimus, latiùs patet materia quam forma et actus:

non enim sunt id omne quod possunt fieri. Deus autem quidquid potest esse, id est omne; atque hoc idem de Universo decet affirmare, de Dei optimi maximi simulacro infinito et umbra, modò integram consideres. Ità igitur in rerum natura concurrunt actus absolutus et absoluta potentia, Anima una et simplex materia, ut unam demùm substantiam videantur efficere, principium unum formale simul et materiale, uti et Parmenidis olim tulit sententia (1).

Ceterùm, si descretam ab Efficiente et Forma Materiam constituas absolutam, — nudam videlicet et potentia, non actu, existentem, — jam nulla erit, aut erit illud vulgaris philosophiæ *propè nihil*, nec nominis, nec definitionis nec termini ullius capax.....

(1) *Teof :* E impossibile che si trova teologo, che mi possa imputar impietà per quel che dico de la coïncidenza de la potenza et atto, prendendo assolutamente l'uno e l'altro termine., Per tanto che l'Universo secondo tal modo è tutto quel che può essere, sie che si voglia quanto a l'atto e potenza numerale, viene ad aver una potenza, la quale non è assoluta da l'atto, un'anima non assoluta da l'animato, non dico il composto, ma il semplice. Onde così de l'Universo fia un primo principio, che medesmo s'intenda non più distintamente formale e materiale, che possa inferirsi da la similitudine del predetto potenza assoluta et atto. Onde non fia difficile e grave d'accettar al fine, che il tutto secondo la sustanza è uno, come forse intese Parmenide, ignobilmente trattato da Aristotele.

Dics : Volete dunque che, ben che discendendo per questa scala di natura sia doppia sustanza, altra spirituale, altra corporale, che in somma l'una e l'altra si riduca ad uno essere et una radice?

Teof : Così è. (De la Causa, 264.)

Igitur, si sit materia, non nudam, actûsque expertem, non accipiendi tantummodò dicimus potentiam, sed ex se ipsa producendi, ideòque dimensiones nullas habentem formasve, ut omnes habeat, sitque velut Natura prægnans, et fœcundissima et divina rerum parens. Unam igitur et indè potentiam passivam et activam, essendi et efficiendi, unam Animam et Materiam, unam entium radicem substantiamque reperimus (1).

Accedit quòd hominum intellectus, ubi rerum conatur perlustrare principia, ab entium multitudine, naturæ quadam coactus necessitate, sursùm vehatur ad id, quod est unum simplexque, nec valeat nisi in primo quodam rerum omnium principio conquiescere. Ubi de numeris quæritur, ad unitatem, — ad punctum, ubi de figuris, abire contendimus omnes; a particularibus itidem ad genera, adque genus quoddam denique supremum quo cætera omnia contineantur. Intellectus autem et Natura viam terunt eamdem; qua Natura descendit, facit ascensum intellectus et ad Entis primi et substantiæ unius contemplationem progreditur. Et hinc igitur decet colligere, unam esse Universi æternam et infinitam Substantiam, potentiarum potentiam, actuum actum, animarum animam, et essentiam essentiarum omnium; Deumque non modò esse in rebus omnibus, sed esse omnia ipsum (2).

(1) De la Causa, 274, 278.

(2) Quando l'intelletto vuol comprendere l'essenza d'una cosa, va simplificando quanto può, voglio dire, de la composizione e moltitudine si ritira, rigettando gli accidenti corrottibili, le dimensioni, i segni, le figure, — a quello che sottogiace a queste cose... L'intelletto in queste dimostra aper-

Quod quidem et ex iis elucet quæ de numeris deque monade Pythagorici senserunt. Cum enim in rerum naturam altiùs inquiras, monadem ubique, quod idem est minimum, reperies rei cujusque et elementum et essentiam et fontem, ità ut « si contemplatio naturæ vestigia persequatur, a minimo incipiat, et in minimo speculando consistat et in minimum desinat contemplando oporteat, » nec quidquam esse, nisi sit unum, liceat prædicare.

« Nam nihil est cyclus præter spectabile centrum,
Et sine fine globus nihil est nisi centrum ubique... »

atque itidem quidquid est maximum, et infinitum, minimum est etiam et unum (1). Monas igitur est eadem numerus infinitus, sed implicitè, et Universi infinita magnitudo non est nisi Monadis explicata virtus et potentia, et essentia (2). Ad unius igitur Entis essentiam, quæ Monadum Monas meritò nuncupatur (3), entia universa oportet referri.

Ipsam autem simplicissimam illam, qui terminus est scientiarum omnium, substantiam amplecti et des-

tamente, come ne l'unità consista la sustanza de le cose, la quale va cercando o in verità, o in smilitudine. (Causa, 287.)

(1) De triplici minimo et mensura, passim.

(2) L'Unità è nel numero infinito, et il numero infinito ne l'unità; oltre l'unità è uno infinito implicito, e l'infinito è l'unità *explicita* : a presso, dove non è unità, non è numero nè finito, nè infinito, e dovunque è numero o finito o infinito, ivi necessariamente è l'unita. Questa dunque è la sustenza di quello. (Spaccio, p. 154.)

(3) Simpliciter tandem monadum monas una reperta est. (De tripl. min. etc.

cribere vetat mentis humanæ mediocritas, ni quis negante præsertim delineandi utatur ratione...

« Est igitur Universum simplex, infinitum, immobile. Una est potentia absoluta, unus actus, una forma et anima, una materia corpusque, res una, unum ens, unum id quod est maximum atque optimum... Non movetur quoad locum : nihil enim est extrà, quò sese possit recipere. Nec in modum mutatur ullum, quippe nulla est destitutum forma ideòque nullam desiderat... Nequit idem crescere aut imminui, propterea quòd est infinitum, nec queat a re infinita detrahi quidquam aut ad eam accedere. Nulla denique movetur ratione, quippe quod omnia simul contraria continet et inter se opposita, nec, uti solet fieri in rebus particularibus, in formam contrariam sese potest convertere... Non est materia primum illud principium, quia neque figuratum aut figurabile, neque terminatum aut terminabile. Non est forma quia nihil habet externum cui figuram possit imponere. Non est mensurabile, aut mensura... Eidem, (cum semper sit unum) non est esse et esse; nec ideò sunt partes et partes; itaque non est compositum. Principium illud est terminus ità ut non sit terminus, ità forma ut non forma, materia ut non materia, anima ut non anima; quippe est omnia indistinctè. Sphæræ ideò nomen obtinet, quòd, uti sphærarum est proprium, longum est pariter et latum et profundum; infinitum enim est quoquoversùs. Infiniti non est pars dimidia, aut tertia aut millesima : imò nulla quæ a toto differat,

infinitam enim, si dicas, oportebit dicere, ideòque eamdem cum Universi totius magnitudine; unum est igitur id quod est, carensque partibus. — Partem *infiniti* nullam, sed partes *in infinito* habes innumeras; quas, si Entis immensitatem respicias, non majores, non minores poteris fateri : idem enim est in tempore infinito hora et sæculum et momentum, idem in spatio immenso palma et stadium, formicarum magnitudo, et hominum et astrorum; hæc igitur omnia et cætera quæque inter se nihil in Infinito differunt, ideòque numerum nequeunt efficere; iterùm igitur Universum unum dico et immobile. Cum sit idem in Uno et Ente actus ac potentia, idem etiam corpus atque punctum : quippe è puncto per lineas et superficies quasi è potentia quadam, corporum formæ effluunt... In infinito igitur idem est quod est dividuum et quod individuum, idem quod maximum et quod minimum (1), idem centrum et circumferentia : fitque indè manifestum, Universi esse centrum ubique et nusquam circumferentiam, aut si placeat, et hanc ubique. Quapropter et id jure dixit Anaxagoras, quamcumque rem in quacumque adesse. » (2)

Quod si id demùm quærites, quì in immobili illo Universo rerum omnium formæ renoventur, id memento, in rerum videlicet multitudine et vicibus non interire Entis simplicitatem. Manet Ens unum immo-

(1) Immensum nihil est nisi centrum ubique. Aeternitas nihil est nisi semper instans. Immensum corpus atomus : immensum spatium puncti vel atomi receptaculum... (De tripl. min.)

(2) C. de la Causa, dial. V.)

bile, sed multimodum, et multiforme, et multifiguratum; atque ea omnia, quæ numerum efficiunt et diversitatem, non sunt nisi accidentia et figuræ vultusque varii substantiæ unius, quæ est ubique tota et quodammodò ést ipsum *ubique*. In hac posita est omnis rerum notitia, in hac finis bonorum et summa felicitas. (1)

CAP. XVII. DE HOMINUM ORIGINE, ET NATURA, ET OFFICIIS, ET FINE.

> **Orsù, orsù, questo, come cittadino e domestico del mondo, figlio del padre sole e de la Terra madre, per che ama troppo il mondo, veggiamo, come debba essere odiato, biasimato, perseguitato e spinto da quello. Ma in questo mentre non istia ozioso, nè mal occupato su l'aspettar de la sua morte, de la sua trasmigrazione, del suo cangiamento.**
>
> **(Spaccio, proem.)**

Philosophi omnes, quotcumque de Uno itidem uti Brunus docuere, de homine duplicem adhibuere sententiam. Dùm enim a sensu aversati, intellectum mentemque sequuntur ducem, unam esse rerum omnium substantiam rati, et Ens unum, hujusque cætera omnia velut accidentia, —hominem ab Universi Anima posse sejungi secernique prorsùs negant. Uubi verò *supranaturali* indagationis ratione prætermissa, ad *naturalem* magisque humilem revertuntur, verique testem

(1) Il sommo bene, il sommo appetibile, la somma perfezione, la somma beatitudine consiste nè l'unità, che complica il tutto. (Causa, 292.)

sensum audiunt et *cogitativam*, tunc suam cuique et corpori et animæ concedunt essentiam, hominisque propriam vim et naturam restituunt.

Igitur, quis sit homo, undè ortus et ad quemnam destinatus finem, diligenter et Brunum videmus disquirentem ; imò tanti ab illo factam Ethicam doctrinam, ut Physices et Metaphysices metam et velut messem nuncuparit.

Sunt verò, uti suprà est compertum, animarum semina ubique rerum sparsa, ità ut sua vel lapides obtineant. Quæ, si materia sinat et tempus, corpora sibi fingunt texuntque, et plantarum animantiumque architecturam speciesque varias intùs concinnant (1). Non igitur, ut docuit Aristoteles, vitam atque animam corpus, imò corporis figuram anima efficit; eademque posteà partium corporearum relaxat vincula, vitamque a membris ad centrum, a ramis ad radicem sensim revocat.

Ex terræ ità uberrimo gremio, solis foventibus radiis animantia cuncta prodeunt, suntque divinæ genitricis velut excrementa, et Telluris matris patrisque Solis meritò proles vocantur..

(1) Ergo animus circùm minima adglomerando tomorum
Corpora, se velut involvit cæco ordine in illis,
Carcere fatali, tanquam sibi membra figurans;
Ut mox se totum hoc corpus diffundat in omne,
Rursùmque ex omni, ac toto resopitu'remigret
Spiritus, expanso de stamine concitus in cor,
E cujus tandem centro se fundat in auras,
Expectetque novos casus, successibus anceps.
(De tripl. min. et mens.)

Nec a cæterorum animalium origine hominum quidquam origo discrepat. Anima enim nostra, ut cæteræ, priusquam hæcce induerit membra, materiæ admixta vagabat. Imò bestiarum adeò animabus est similis ut, ni promptiori et præsentiori quodammodò quam illarum, materia potuisset uti, serpentis aut muscæ forma adhibita, musca serpensve ipsa fuisset.

Ut autem nunc est, bestiarum naturam admodùm humana supereminet. Est enim gemina, Deum inter et Universum constituta, et utriusque mundi, archetypi corporeique, intelligibilis atque sensibilis eadem particeps. Quam videlicet corporibus adstrictam detinent proprii corporis necessitates, et voluptatis cupido; dùm in partem contrariam evehit rapitque sursùm divinæ bonitatis et pulchritudinis generosum desiderium (1).

Animum si prætermisso corpore attentè scruteris, mirabili dotum varietate reperies instructum, quibus auxiliis ad destinatam finem procedat : vi nimirum cognoscendi, et amandi, et sese ipsum ex libero gu-

(1) Inter universa homo duplicis oppositique boni desiderio fertur, quatenùs tum corpore, tum animo pro viribus atque captu quam optimè disponatur : ut iis quæ circùm in megacosmo consistunt ad necessitatem et voluptatem fruatur, et omnium pro suæ nobilitatis consecutione atque complemento ordinem, dispositionem atque naturam contempletur in confinio æternitatis atque temporis, inter archetypum et exemplatum, intelligibilem inter et sensibilem mundum positus, utriusque particeps substantiæ, extremorum quodammodò interstitium, in horizonte naturæ constitutus..... (De immenso § 6.)

bernandi arbitrio. Libertate enim præditos esse homines, — a doctrinæ summa quamlibet discrepans, — semel et iterùm Brunus magna confirmat vehementia. Veri autem, ejusque quod bonum est et pulchrum, notitiam pluribus assequimur rationibus, quæ quasi scalam efficiunt cognitionis : sensu, et imaginativa, et cogitativa (quam et rationem Jordanus nuncupat), et memorativa; accedit intellectùs; accedit etiam mens (quæ Platonicis est vis quædam propè divina qua meditando et amando solem denique intelligibilem et summum Deum licet contemplari.) Ex intellectu et mente prima rerum principia et causas, unamque demùm Causam et Principium unum novimus, ex cæteris res ipsas et rerum causas proximas.

De Hominis origine et natura dictum est; jam ejusdem finem videamus et officia.

De quibus duplicem in modum Brunus disserit. In dialogis enim de Heroïcis cupidinibus id homini docet agendum, ut a rebus corporeis prorsùm aversatus, sensùsque et rationis despiciens testimonia, in intellectum et mentem sese totum recipiat tradatque; divinæque essentiæ contemplatione et bonitatis pulchritudinisque divinæ amore divinam ipse adeptus naturam, ad solem denique intelligibilem animarumque fontem et velut *Amphitriten* revertatur, inque Dei substantiam commutetur et Unitatem... In iis igitur Plotinum noster sequitur ducem, et logicam quamdam ex propria doctrina metaphysica necessitatem. Non item in aliis, quos de Bestia triumphante habemus concriptos. Ubi, neglecta de Uno doctrina, non jam Platonico, sed propriæ ingenii indoli accommodata docet et congenea.

Ut autem a radicibus Jordani Ethica producam : longè alienam a virtutis summa fatetur istam, quæ jactatur, aurei ætatis simplicitatem et innocentiam; qua videlicet et bestiarum genera meritò glorientur. Non ad desidiam ignorantiamque sumus nati ; sed ad cognoscendum et agendum, ideòque vita fruimur omnes ut quam plenissimam et omni numero perfectam degamus.

Dearum ideò omnium, quæ ex bestiarum triumphantium exilio cœlestes obtinent sedes, chorum ducit Veritas, et loco fulget præstantissimo. Hanc igitur antè alias decet colere deam, huic prima impendere studia, idque officiorum ducere sanctissimum, ut divinitùs concessis animi dotibus usi, ejus quod verum est et bonum et pulchrum, cognitionem quam uberrimam consequamur. Nihil ideò est stultius, nihil a divino numine magis abhorrens quam illorum ignavia et humilitas qui occlusa oculorum acie aures arrigunt, gratumque diis fore munus arbitrantur si alienis devinctum doctrinis ingenium omninò abjiciant.

Secundam, post sapientiam, dignitatem obtinet Justitia civilis, qua imperante in hominum societatem beneficia conferimus, ut quam felicissimi sint omnes, et rerum publicarum increscat prosperitas. Sunt igitur impii et deterrima pestis ii, qui non benè faciendo, sed credendo et sperando, Deorum benevolentiam fatentur comparari; injuria etiam generosa improbatur gloriæ cupido qua ad nobilissima quæque et maximè ardua homines advocantur, et servantur respublicæ augenturque.

Quod si quis ea jactet quæ ergà Deum vulgò proponuntur officia, id sibi persuasum habeat, ex hominum thure

et religione Deum, felicissimum quidem et perfectissimum, gloriæ nihil aut delectationis accipere, nihilque iræ aut tristitiæ ex irreverentia; atque si qua illum honoris cultusque cura teneat, non id curare, ut sua ipsius, sed ut hominum adaugeatur gloria et felicitas (1).

Quis est igitur, quin eorum vana vituperet studia laboresque, qui domando corpori et cupidinibus opprimendis toti incumbunt, in solitudinem abditi, et hominum societati inutiles? (2) Nonne et ab iis de-

(1)..... Li dei non sarebbono dei, se si prendessero piacere o dispiacere, tristizia o allegrezza per quello che fanno o pensano gli uomini..... Essendo dunque li dei rimossi da ogni passione, vegnono ad aver ira e piacere attivo solamente, e non passivo, e però non minacciano castigo e prometteno premio, per male o bene che risulta in essi, ma per quello che viene ad esser commesso ne li popoli e civili conversazioni... Per tanto è cosa indegna, stolta, profana e biasimevole, pensare, che li dei ricercano la riverenza, il timore, l'amore, il culto e rispetto de gli uomini per altro buon fine et utilitate, che de gli uomini medesimi... (Spaccio 163.)

(2)... Li dei massimamente vogliono essere temuti et amati, per fine di favorire al consorzio umano, et avvertire massimamente quei vizii, che apportano noja a quello; e però li peccati interiori solamente denno esser giudicati peccati, per quel che mettono o metter possono in effetto esteriore, e le giustizie interiori mai sono giustizie senza la pratica esterna, come le piante in vano sono piante senza frutti o in presenza, o in aspettazione. E vuole Giove, che de gli errori in comparazione massimi sieno quelli, che sono in pregiudizio de la reppubblica; minori quelli, che sono in pregiudizio d'un altro particolare interessato; mi-

fraudatur natura imperans, qui nulla coacti necessitate cælibem degere vitam decreverunt? Imò congruentius est legi naturali polygamia quam monogamia : id enim maximè è natura esse videtur, ut quam plurimæ ad vitam advocentur animæ.

Manet unum tamen, nec id minimum officium, etiam si quis ab hominum consortio planè sit seclusus : ut videlicet ex ignorantiæ tenebris ad rerum et causarum notitiam evehi studio intento nitatur.

Atque legem naturalem, quæ divina eadem rectè vocatur, quotiescumque perfringimus, culpæ statim pœnam iidem petimus solvimusque. Est enim insita in nobis boni malique conscientia quædam, quæ scelestos urget animos mordetque (1).

Peractis etiam hujusce vitæ annis æternæ supersunt decreta justitiæ. Non quòd Orcum quis, et catenas, et æternas deorum iras jure reformidet. Sed

Morte carent animæ, semperque priore relicta

nimo sia quello ch'accade tra doi d'accordo; nullo è quello, che non procede a mal esempio o mal effetto, e che da gli impeti accidentali accade ne la complessione de l'individuo. (Spaccio 163.)

(1) Il disordinato amore ha in sè il principio de la sua pena ; atteso che è vicino, è nosco, è dentro di noi. Si trova in noi certa sacrata mente et intelletto, cui somministra un determinato affetto, che ha il suo vendicatore, che col rimorso di certa sinderesi al meno, come con certo rigido martello, flagella il spirito prevaricante. Quella osserva le nostre azioni et affetti, e come è trattata da noi, fa che noi vengamo trattati da lei. (Er. fur. 368.)

Sede, novis habitant domibus vivuntque receptæ.
Omnia mutantur, nihil interit... (1)

Itaque mortem quam vocamus, migrationem rectiùs et mutationem adque formam et vitam aliam dixeris transitum : atque prout hìc animarum quæque fuerit aut vim majorem et bonitatem pulchritudinemque assecuta, aut delapsa in deterius, est a Natura decretum sancitumque, ut corpus humano corpore aut præstantius aut pejus induat, et exindè alias aliasque formas adepta, nunc ascensum, nunc descensum patiatur (2).

CAP. XVIII. QUID AD PERFICIENDAM PHILOSOPHIAM MOMENTI BRUNUS ATTULERIT.

Jam cò est processum, ut Bruni tandem fatum omne pateat et philosophematum summa. Id verò quærendum superest, utrùm tam operosam incassùm vitam tulerit et frustrà horrendum adcò subierit supplicium, an ex felicissimi ingenii audacia incrementi aliquid et roboris scientiæ acceperint.

(1) Ovid. Metam. 15, 158.

(2) Avviene per l'alta giustizia, che soprasiede a le cose tutte, che per i disordinati affetti venga nel medesimo, o in altro corpo, tormentato et ignobilito, e non debba aspettar il governo et amministrazione di migliore stanza, quando si sarà mal guidato nel reggimento d'un'altra. Per aver dunque ivi menata vita, per esempio, cavallina, o porcina, verrà, (come molti filosofi de'più eccellenti hanno inteso, et io stimo, che, se non è da esser cre-

Quo ille vixit sæculo, mirum sanè si novam et veram potuisset condere philosophiam; quamquam enim plurima tunc temporis systemata prodibant, non tamen id præcipuum etiam tum agebatur, ut nova doctrinarum exsurgerent ædificia, sed ut, deleto veteri, firmioribus pateret locus et fundamenta pararentur.

Cui quidem divinitùs incepto operi et Brunum interfuisse jamdiù dictum est: multumque et hic certò profecit, qui, inter omnes ejusdem ætatis philosophantes animi dotibus et fervore insignis, viginti annos in celeberrimis Europæ Academiis, et privatìm et publicè docens, magna vi eloquentiæ spuriam Scholarum demonstravit philosophandi rationem, et malè usurpatam Aristotelis auctoritatem, nec quidquam nisi rerum evidentiæ concedendum.

At verò, si id Jordanus pro parte virili præstiterit, ut aviti erroris fieret ruina, et ex diuturna servitute ad libertatem tandem hominum ingenia traducerentur, grato quidem animo tantum decet extollere beneficium: non enim medioeris est momenti ut falsæ eruantur doctrinæ, quarum dùm viget auctoritas, velut carcere clausi prohibentur animi ne ipsis veritatis splendor possit illucere.

Non tamen id solummodò egit noster, ut debellata

duto, è molto da esser considerato), disposto da la fatal giustizia, che gli sia intessuto in circa un carcere conveniente a tal delitto o crime, organi e stromenti convenevoli a tal operajo o artefice. E così et oltre discorrendo per il fato de la mutazione eterna verrà incorrendo altre et altre peggiori e migliori specie di vita e fortuna, secondo che s'è maneggiato miglior o peggiormente ne la prossima precedente condizione e sorte. (Spaccio 113.)

Scholasticorum secta venturæ viam sterneret veritati, sed eò etiam contendit ut ad veritatem ipse accederet, et reconditæ tamdiù rerum Naturæ ab ipso aperiretur decus et majestas. Cum autem è nostra sit indole, ut falsas agnoscere doctrinas potiùs liceat quam veras invenire, cumque insuper obstaret sæculi juvenilis intemperantia, et viri in affirmando nimiùm fervens audacia fiduciaque, non tam prosperè successit labor; multa tamen edidit egregiè cogitata, multaque illius philosophiæ sparsit semina quæ præstantissimorum posteà ingeniorum opera floruit.

Quæ ut planè eluceant, fiatque manifestum quid benè, quid temerè docuerit Jordanus, dogmata illius omnia placet quam brevissimè repetere.

1. Atque de methodo primùm. Quam videlicet non tam laudabilem adhibuisse, philosophemata satis ipsa testantur. Quamvis ea tantummodò sese probare jactitet, quæ ex *regulato sensu* et *vivis* effluxerint *argumentis*, multa accipit quæ nec sensûs, nec intellectûs nituntur testimonio, sed genuit phantasiæ temeritas; sæpè etiam, quod tamen Aristoteli ipse exprobrat, logica pro physicis habet principia et causas, et, uti olim fecerant Platonici, ex logicarum intentionum ordine entium depromens descensum quemdam et fictam unitatem, ad *idearum* similitudinem rerum naturam accommodat. Adde quòd ex veterum etiam majestate sententiam unam et alteram probaverit. Debilia ideò ad ratiocinia confugit sæpè, ut qui non ex argumentis absconditam doctrinam elicere, sed dogmata jamdiù accepta argumentis posteà conflatis fulcire cogitaverit.

Quod quidem non viri sed sæculi rectè habebis vitium.

2. Præstantem tamen Nolanæ philosophiæ initia exitum pollicebantur; et dùm de mundi magnitudine et partibus et motu disserit Jordanus, verè Metaphysicum sese, et Physicum ostendit, astrorumque peritum. Ex metaphysicis primùm rationibus, ex infinita videlicet Efficientis potentia et bonitate et intellectu (quæ quidem esse omnia non ipse demonstrat sed antiquitùs demonstrata usurpat) Effectum infert infinitum, et optimum, si non seipsum quisque, si Universi non partem quampiam, sed summam respiciat. Quæ verò ibi argumenta Brunus attulit, tutari non omnia, sed plurima facilè audeam.

3. Ab infinito Universo ad mobilem tellurem proclivi fertur aditu intellectus: quì enim circa huncce Terræ globum circumvehi posset Universi immensa magnitudo? Circa solem igitur ferri tellurem nostram Jordanus docet, a Peripatetica maximè alienam opinionem, nec cuiquam, præter Copernicum, tum temporis acceptam. Quam verò non a Copernico sed ab antiquis cepisse Pythagoræis, et ipse asseverat, et demonstrandi, qua utitur, ratione confirmatur. Non enim ex hypothesi eam et mathematicis computationibus, sed ex Metaphysicis educit, tueturque deindè ingenti argumentorum copia, qua Aristotelis totidem pro mundo finito et sphærico et circa tellurem delato ratiocinia refellit, et illius Physicam prorsùs diluit doctrinam. Atquè indè etiam elucet, non ex aliena sed ex propria processisse cogitatione Bruni sententiam, quòd

Copernico vetustam placuerit de sphærico Universo servare opinionem, noster autem sine margine mundum docuerit et soles terrasque innumeras.

Meritò igitur eorum, qui Astronomiæ recentioris fecerunt exordium, unum prædicabis Jordanum, ideò magis laudandum admirandumque, quòd etiam tum, imò posteà, (quod quidem Galilæum videmus expertum), theologiæ prorsùs adversa tellus mobilis videretur, atque etiam nunc finitum videatur theologorum vulgo Universum.

4. Attamen, si finitam constitueris rerum Naturam, infinitum quonam pacto Deum dicere licebit? Nonne tu ad *anthropomorphismum* et *anthropopathismum* statìm detractus Jovem quemdam adorabis « *hominum regem atque deorum* », in nubibus aut in cæruleæ fornicis convexitate solium habentem et speculam? Non igitur injuria gloriatur Jordanus, non modò Universi, sed Efficientis optimi maximi infinitam ex diuturno errore ipsum recuperasse majestatem...

5. Idcircò etiam vulgari præstat philosophiæ Nolana, quòd non externum Aristotelis et violentum motorem, sed ubique præsentem et rerum ima doceat penetrantem.

6. Sed altiùs deindè evecta, ubi de rerum non jam motu et motore, sed finibus quærens, essendi finem rei cuique existentiam affirmat esse ipsam, et vivendi, ut quam plenissimè vivant omnia, et mutentur, et completo mutationum circulo in idem revertantur, novum instauratura circulum, — tùm verò temerè dictum arbitror: nec cuiquam, præter rerum Causam infinitam, concedi, ut naturæ finem supremum et quod dicitur, *absolutum* intelligat. Grandi tamen sese et hic

generosaque ostendit indole Jordanus et qui Tiphyos audaciam æmulatum sese non tam immeritò prædicare potuerit.

7. A vero apertiùs aberrat, ubi de Uno tandem decernit philosophari, Materiam rerum. nudam esse quamdam et passivam potentiam affirmans, et Efficiens unum impertibilemque Mundi Animam, quæ rerum universarum sit ipsa vita, et causa mutationum omnium unica, et velut natura genitrix; ubi animam deindè eamdem et Formam facit Universi, tùm simplicem et numeri expertem materiam demonstrat: erigitque animum postremò ad Entis unius infiniti contemplationem.

Quæ quidem in paucis, iisque spuriis, innititur radicibus, quibus facilè recisis labitur universa et dissolvitur.

8. Atque, si ritè introspexeris, ex uno ferè omnes videbis errores prodiisse: quòd videlicet duo noster interna discreverit principia, Efficiens, penes quod omnis sit movendi potestas, et Materiale, quæ sit potentia passiva, nuda, vacuo simillima spatio, sitque ipsum istud Platonicum *propè nihil*, Cartesio quoque probatum posteà et Cartesianorum sectæ. —Logicum certò, et fictum, non physicum et reale Materia ista *absoluta* efficit principium: quod quidem, omni qualitate et vi destitutum, et prorsùs inutile, quomodò accire Brunus statuerit, non equidem intelligo, cum de ejusdem principii vanitate contra Peripateticos sæpiùs ipse disserat.

Isto tamen stant fundamento cætera propemodùm omnia quæcumque de Uno noster docuit. Exindè enim-

Efficens unum et unam Universi vitam declarat, unam etiam Animam et Causam formalem, tum unam animarum et corporum Materiam primam : unam denique Materiam ratione numeri uti ratione essentiæ...

Supererat ut in Ens unum concurreret Forma infinita, et absoluta Materia. Tum autem mutatis nominibus, Formam noster *actum* nuncupat et *existentiam realem*, Materiam *essendi potentiam* : et quæ *propè nihil* fuerat, in nihilum tandem Materia evanescit. Quam quidem ab initio nullam in rerum Natura causam dicere oportebat, uti et Leibnitzius prætantissimè docuit.

9. In eo igitur Jordanus quiescit philosophandi genere, quod Pantheismi signatum nomine, a vero quamquam alienum, egregia tamen nonnulla et veterum, et recentiorum allexit ingenia, et antè Brunum Parmenidi præsertim et Platonicis placuerat. Quorum tamen ille non pedetentìm trivit vestigia, imò præstantiorem condidit philosophiam si systematis non summam, sed partes, non veritatem sed copiam respicias et ordinem. Non enim Platonicorum istud *non ens* accepit et tenebras, materiam nempè passivam, quam absurdam equidem dicere non dubito; non Xenophanem et Parmenidem secutus commentitia sensûs ducit testimonia (quibus videlicet declaratur rerum varietas et motus), Unum quoddam affirmans absolutum et immobile et nudam propemodùm Substantiam. Imò physicam simul et metaphysicam composuit doctrinam, ex sensu varietatem rerum infinitam et mutationes, ex intellectu unitatem expromens et unam denique Universi

substantiam, sed vivam eamdem, et mobilem, et *multiformem et multifiguratam...*

Nec id prætereundum, Physicis quam Metaphysicis aut Geometricæ methodo magis aptatum deditumque animum in libris suis Brunum ostendere, ità ut Pantheismum ex antiquæ sapientiæ studiis acceptum, propria magis cætera non immeritò duxeris.

10. Atque uti de rerum Natura, ità de homine duplicem in modum docet Jordanus, tum etiam trahente in partem diversam veterum auctoritate et proprii genii indole. Ubi enim Plotinum noster auscultat, contemplationem laudat, finemque proponit vivendi ut in animarum fontem et velut Oceanum omnes denuò absumantur; — ubi verò propriam mentem sequitur sollicitantem, tantum abest ut virtutis felicitatisque summam ducat contemplationem, ut præter beneficia in hominum societatem conferenda officii nihil aut religionis reliquum esse prædicet, — imò legem naturæ (cupidinum scilicet impetum) divinum passìm contendat esse imperium.

Plurima prætermitto : jam enim liquet satis, non illi fuisse concessum ut integram et veram conderet doctrinam ; ea tamen eumdem docuisse, quæ recentioris philosophiæ nuntium declarent et præparatorem. Baconem etenim et Cartesium cæterosque sæculi ejusdem scriptores pertractanti multa occurrunt quæ ex Bruni libris deprompta, imò ad verbum dixeris excerpta. Baconis et Cartesii contra externam auctoritatem argumenta omnia apud nostrum reperies, Cartesii etiam (quod et Bruckerus indicat) turbines et delata per im-

mensum ætherem corpora; tum Pascalis celebratam sæpè spatii infiniti definitionem, Spinozæ *naturantem* naturam et *naturatam*, Malebranchii de fine mutationis quædam, Leibnitzii pro infinito Universo argumenta, et determinismum, et optimismum, et legem indiscernibilium, et monadum Monadem, et animas sibimet ipsis corpora concinnantes, et multa prætereà. Rectè etiam Bruni placitis simillimum esse Germanorum, qui nunc floret, *idealismum* Tennemannus fatetur; — quæ omnia, etiamsi non ex illius libris decerpserit recentior philosophia, decorum est jam pridem docuisse.



SBN









Digitized by Google


BIBLIOTECA
B